







DE
JULI FRONTINI STRATEGEMATON LIBRO IV.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS FRITZE
MARCHICUS.

HALAE SAXONUM.

MDCCCLXXXVIII.

Quae nuper a Gundermanno editae sunt quaestiones [1]) de Juli Frontini strategematon libris IV. (Lips. 1888) et editio strategematon Frontinianorum [2]) incitaverunt me, ut strategematibus a Frontino collectis, in quae iam antea casu quodam incideram, denuo operam atque studium navarem. Nam cum Gundermannum Wachsmuthii [3]) et Wölfflini [4]) sententiam de fide libri IV. secutum hunc librum a Frontino conscriptum non esse certissimis verbis [5]) contendere viderem cumque dissertationibus Wachsmuthii et Wölfflini, quorum de libro IV. iudicium ab omnibus fere v. v. d. d. probatur, perlectis illum librum a Frontino profectum non esse nunquam mihi persuadere possem, tandem aliquando, quae de eius libri auctoritate dicenda esse mihi videntur, prolaturus sum, quod multa atque gravia a viris doctis non recte intellecta esse me demonstrare posse spero.

Wachsmuthius igitur primus accuratiorem de libro quarto strategematon Frontinianorum quaestionem instituit, l. l., quem deinde secutus Wölfflinus, l. l., eandem rem tractavit, atque ita rem susceperunt, ut hic praecipue Frontini et Pseudo-Frontini — ita auctorem l. IV. nominat — de elocutione, ille de fontibus l. IV. quaereret. Uterque autem vir doctus evincere conatus est librum IV. iniuria ad Frontini nomen referri eiusdem, qui librum de aquis urbis Romae et tres priores strategematon libros composuit. Quos cum

1) Cf. Jahrb. für class. Philologie. Supplementbd. XVI.

2) Juli Frontini strategematon libros quattuor ed. Goth. Gundermann, Lips. 1888.

3) Mus. Rhen. XV. (1860) p. 574 sqq.

4) Hermae vol. IX (1872) p. 72 sqq.

5) Cf. Quaestt. de Juli Frontini libris. p. 319/20: „Eum (sc. librum IV) non ab eodem auctore conscriptum esse . . . Curtius Wachsmuth et Ed. Wölfflin ita demonstraverunt, ut aliter qui sentiret nihil sentiret.“

omnes viri docti, qui in ea re operam collocaverunt, secuti sint, Zechmeisterus [6]) et Hartelius [7]) soli librum IV. strategematon Frontino adscripserunt; nam uterque quamquam hanc rem propriis disputationibus non tractaverunt neque argumentis confirmaverunt, tamen aliquot locis disputationum, quas modo dixi, ad constituendas lectiones tres libros priores ita cum quarto comparant, ut viros doctos de fide l. IV. non dubitavisse plane appareat, cf. Zechm. p. 238; 232. a. l. Atque haec res difficillima est diiudicanda. Nam non solum examinandum est, num in libris manuscriptis iure an iniuria Frontino liber IV. adscribatur, sed cum auctor l. IV. ipse se Frontinum haberi velit (cf. IV, 3. 14) cumque totus ille liber ita compositus sit, ut Frontinum auctorem accipias necesse sit, accurate quaerendum erit, utrum falsarius quidam qui Frontini partes sibi arripuit, librum IV. conscripserit an verus Frontinus.

Caput I.

A.

De traditione strategematon. Omnibus in codicibus, quibus Frontini libros debemus, (Cf. Gunderm. Commentt. Jenenses 1881 p. 86—110) cum semper liber IV una cum tribus prioribus libris traditus sit, nemo usque ad Wachsmuthium eum ab illis separare conatus est. Sed iam pridem saeculo XVII et initio scl. XVIII. alia quaestio [8]) orta erat: quaenam scripta attribuenda essent Frontino illi, qui cum rebus in Gallia bene gestis (a. 70 p. Chr.) tum aquarum urbis Romae cura magnam sibi laudem paraverat; nam omnia, quae sub illius Frontini nomine ferebantur, ab illo profecta esse non posse omnibus iam tum persuasum erat. Sed cum hodie hi libri procul dubio Frontiniani habeantur: De aquis urbis Romae, tres priores libri strategematon, duo libri deperditi (gromaticus l. et de re

6) Cf. Wien. Stud. 1883.
7) Cf. Wien. Stud. 1884.
8) Cf. Praefationes ed. Oudendorpianae Leyd. 1879.

militari l. cf. Teuffel, hist litt. Rom. ed. IV. p 747), Oudendorpii, viri de Frontino maxime meriti, temporibus (scl. XVIII) etiam plures libri eidem Frontino adscribebantur, in quibus strategematon libri IV, quippe qui in omnibus codicibus eius nomini inscripti essent. Sed etiam tum erant, qui omnes strategematon libros iniuria Frontino tribui dicerent. Neque enim eius aetatis viros doctos fugerat in strategematibus diversam a libris de aquis urbis Romae elocutionem comparere. Sed hanc discrepantiam a diverso duorum librorum argumento ortam esse etiam tum recte intellectum est. Nam cum strategemata ex maxime varii pretii libris vel pessimis conquisita originis signum prae se ferant, de aquis urbis Romae librum ex tabulis et monumentis magistratuum haustum propius ad germanam latinitatem accedere necesse est. (Cf. praef. ed. Oudendorpianae II). Quare strategematon libri, cum in eorum fidem nihil quod quidem gravioris momenti esset, proferri posset, ab omnibus fere v.v. d.d. genuini habiti sunt.

Sed Wachsmuthius et Wölfflinus primi, ut iam supra diximus, librum quartum a Frontino conscriptum non esse demonstrare conati sunt. Hi fidem testimoniorum, quae primo aspectu huic sententiae obstare videntur, labefactabant, cum dicerent omnes locos qui Frontinum auctorem l. IV. esse aperte docerent de industria a falsario ingestos esse, ut originis Frontinianae species excitaretur. Quod cum exempla subditiciorum librorum haud raro inveniantur, procul dubio viris doctis concedendum erit, si quid in ipso libro inerit, quo de auctoritate Frontini dubitare cogamur.

B.

Quae igitur sunt indicia quibus adducimur, ut Frontinum, auctorem librorum trium priorum, quartum quoque conscripsisse credamus? Primum atque gravissimum argumentum quo Frontinum l. IV. auctorem esse docemur, mihi videtur esse expl. IV, 3. 14, quo narratur, quanta continentia exercitus Romanus Frontino ipso duce in Gallia fuerit: [9])

9) Verba Frontini secundum edt. Gunderm. exhibeo.

‚Auspiciis Imperatoris Caesaris Domitiani Augusti Germanici[10]) bello quod Julius Civilis in Gallia moverat, Lingonum opulentissima civitas, quae ad Civilem desciverat, cum adveniente exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra exspectationem inviolata nihil ex rebus suis amiserat, ad obsequium redacta septuaginta milia armatorum tradidit mihi.'

Wachsmuthius Wölfflinus Zechmeisterus Hartelius ‚mihi' verum esse putant, cum optimi codices hanc scripturam praebeant (cf. Gunderm. edt. p. 127), quare Gundermannus iure ac merito pro ‚ei', quod vulgo scribebatur, ‚mihi' restituit; ‚ei' vel ideo probabile non est, quod Domitianus, ad quem illud pronomen referendum erat, nondum in Gallia fuisse videtur, cum Lingones Romanis se dediderunt. Nam Tacitus, cum de eorum fuga hist. IV, 67 narret, in sequenti demum capite Domitianum Roma in Galliam profectum esse refert.

De seditione igitur Batavorum atque civitatum cum eis coniunctarum loquitur Frontinus, de qua Tacitus hist. lib. IV-V scribit. Lingones, qui Julio Sabino nobilissimo viro suasore et auctore contra Romanos arma ceperant, ab eis pulsos esse auctor est Tacitus; cf. hist. IV, 67 ‚fortuna melioribus (sc. Romanis) adfuit: fusi Lingones.' Frontinus autem Lingonum seditione sedata septuaginta milia in deditionem a Romanis accepta esse tradit; sibi ipsi contigisse, ut tantum armatorum numerum sub dicionem populi Romani redigeret.

Nemo eorum, qui librum IV. strategematon subditicium esse dicunt, dubitavit, quin ex Frontini vita res hoc loco a Frontino ipso narretur. Nam cum hac in re neque Frontini nomen neque Lingonum numerus usquam referatur, fieri non potest, ut falsarius quidam hoc factum aliunde sumptum ita tradat, quasi Frontinus ipse loquatur. Notandum quoque est plenum Imperatoris Domitiani titulum inveniri, cuius nomen post damnatam eius memoriam (a. 96. p. Chr.) ex monumentis erasum esse ac sacratum fuisse omnibus notum est. Cf. Suet. vit. Domit. XXIII. Exempla nominis erasi

10) ‚Germanici', non ‚Germanico' sc. bello, ut Gundermannus vult, legendum puto; nam bellum, quod in Gallia geritur, Germanicum appellari non potest.

praebent inscriptiones apud Wilmans (exempla inscript. lat. ed. 1873) I. No. 803, 924, 1150. Consilio Domitiani nomen tacetur: No. 1248, 1598. Quare exemplum IV, 3. 14 ante annum 96. conscriptum esse magna cum probabilitate coniciendum est. Quo probato de eius exempli fide dubitari non potest, cum Frontini ipsius temporibus nomine eius quemquam abusum esse credendum non sit.

Sed Gundermannus qui hoc strategema a. 70 contra Lingones a Frontino adhibitum atque ab eodem fortasse in commentariis conscriptum esse posse non negat, tamen id a falsario, qui quo maiorem veritatis speciem moveret, Frontinum ipsum exscripsisset, insertum esse contendit. Cf. Quaestt. p. 322. Sed omnia, quae ad hanc sententiam confirmandam profert, non tam de Pseudo-Frontino quam de vero Frontino nos admonent. Nam adeo non conspiratione titulorum Divi Vespasiani vel Domitiani in lib. I-III et l. IV. Pseudo-Frontini vestigium significatur, ut etiam suspicio eius longius removeatur. Viri enim docti quid Pseudo - Frontino tribuant, cogitare non videntur; nam cum, ut alia omittam, eum se ipsum per ‚et ipse' in prooemio l. IV. stultissime prodidisse credant[11]), aliis locis tantam astutiam ei tribuunt, ut eum vel minutissimas Frontini proprietates surripuisse contendant. Idem Gundermannum (quaestt. p. 322) admittere cognosces, si quae de auctore expl. IV, 3. 14. dicit, cum iis verbis comparaveris, quae de prooemio l. IV. facit. Cf. p. 321 l. l.

Aliam de hoc exemplo disputando rationem adhibuit Wachsmuthius atque Wölfflinus eum adiuvit. Ille enim cum totam argumentationem, si id exemplum in libro IV locum retinuisset, stare non posse intellexisset (cf. Mus. RhXV p. 582), hoc strategema a nativo loco post exemplum septimum libri II capitis undecimi quocunque modo in librum IV translatum esse probare conatus est. Quod quamquam fieri potuisse concedendum est, tamen nisi gravissimis causis commoti revera factum esse non credemus. Sed neque Wachsmuthius indicia ex natura codicum sumpta afferre potest, quibus illa sententia fulciatur, et nonnulla sunt, quae huic

11) Cf. Wachsm. Mus. Rh. XV, p. 577. Wölffl. Herm. IX, p. 88/89 Gunderm. quaestt. p. 321|22.

transpositioni obstant. Nam si expl. IV, 3.14 post expl. II, 11.7 ponimus, duo deinceps exempla habemus, in quibus de Imperatore Domitiano agitur, quod cum a more Frontini alienum sit, tum etiam illud accedit, quod titulus tam longus exemplis deinceps sequentibus iteratur. Frontinianae dictioni aptius erat: ‚Eiusdem Imperatoris' vel similia. —

Jam Wölfflinus, qui Wachsmuthii coniecturam amplexus est, etiam indicium attulisse sibi videtur, quod strategema IV, 3.14 principalem locum post expl. II, 11.7 habuisse nobis persuadeat. Nam ita consuetudinem Frontini, qui strategemata Imperatoris Domitiani in fine capitum posuerit, bene servatam esse.

Sed praeterquam quod idem assequimur, si expl. IV, 3. 15 suo loco motum esse sumimus — id quod sententiarum conexu magis commendatur — Frontinus strategemata Domitiani non constanter in fine capitum collocavit; quamquam eum id libenter fecisse concedendum est. Quinquies enim de eo loquitur: I, 1.8. 3,10 II, 3.23 11,7 nostroque loco; extremo autem capitis loco nisi expl. I, 3.10 et II, 11,7 nullum positum est; nam cum II, 3.23 aeque ac IV, 3.14 paenultimum locum capitis obtineat, expl. I. 1,8 medio in capite collocatum est. Quare Wölfflini argumentum non satis grave esse luculenter apparet.

Sed quod in hac re maximi momenti esse debet, quaeramus, utrum expl. IV, 3.14 loco tralaticio sententiarum conexui convenienter positum sit an post expl. II, 11.7 melius ponatur. Toto l. IV. capite tertio id quod ipso titulo indicatur, de continentia agitur, in quo duae sunt partes:

Expl. 1—12. De singulorum ducum continentia (ad hunc numerum nisi est interpolatum, expl. 15 referendum est.).

Expl. 13. De Scauri exercitu, qui tam erat continens, ut arbor pomifera, quae quondam castrorum circuitu continebatur, castris motis intacta relicta sit.

Expl. 14. Lingones Romanis se dediderunt, quod copiae eorum Frontino duce in finibus Lingonum tam erant continentes, ut nihil raperent.

Duobus igitur exemplis milites, qui facillime rapinas facere potuerant, ne minimum quidem in hostium finibus rapuisse narrantur. Qua in re alterum exemplum prorsus simile priori esse cave putes, quo nihil novi afferatur, nam

Frontinus id strategema ideo posuisse videtur, quod quamquam est eiusdem fere naturae atque antecedens, tamen multo maiorem habet gravitatem atque novam rerum conditionem praebet.

Jam si considerabimus, quo iure expl. IV, 3.14 in libro II, 11 poni possit, ne ad titulum quidem illud aptum esse inveniemus. Nam cum II, 11 exempla contineat, quibus quomodo dubiorum animi in fide retinendi sint demonstretur, in expl. IV, 3.14 de dubiorum animis non agitur. Lingones enim a Romanis iam defecerant, iam victi et fugati erant. Quomodo igitur eorum ut dubiorum animi in fide retineri possunt?

Accedit, quod, si accuratius perpenderimus, expl. IV, 3.14. ne strategema quidem esse, sed potius strategicon generi adnumerandum esse inveniemus. Nam cum libro II, 11 omnibus in exemplis sollerter ducum res gestae referantur, hoc loco (IV, 3.14) merus continentiae effectus illustratur. Itaque cum expl. IV, 3.14 suum locum in libro IV. obtineat et ‚mihi' procul dubio ad Frontinum referendum sit cumque non sit, cur hoc exemplum a Frontino ipso conscriptum non esse credamus, sequitur, ut liber IV, in quo genuinum Frontini exemplum legatur, a Frontino compositus sit. —

Non minore fere gravitate in hac re diiudicanda est prooemium libri IV, quod a Wölfflino ad falsarium detegendum adhibitum esse valde miror; in eo enim scripta sunt haec: ‚Multa lectione conquisitis strategematibus et non exiguo scrupulo digestis, ut promissum trium librorum implerem, si modo implevi, hoc exhibebo ea, quae parum apte discriptioni priorum ad speciem alligata**e** subici videbantur et erant exempla potius strategicon quam strategemata: quae idcirco separavi, quia quamvis clara, diversae tamen erant substantiae, ne, si qui forte in aliqua ex his incidissent, similitudine inducti praetermissa opinarentur. Et sane velut res residua expedienda fuit, in qua et ips**a** ordinem per species servare conabor.'

His verbis luce clarius lib. I—III et librum IV. ab unoeodemque auctore conscriptos esse dictum est. Sed ut iam supra diximus, hanc Frontini simulationem a falsario quodam de industria factam esse credere non dubitabimus,

si gravibus causis Frontinum l. IV. auctorem esse non posse nobis persuadebitur.

Wölfflinus igitur primum omnia, quae fidei l. IV. repugnare videntur, undique affert; tum postquam dubitatio omnibus causis, quae librum IV. subditicium esse doceant, apte collatis atque coniunctis paene certa fides facta est, vir doctus ad interpretandum prooemium aggreditur. Jam indicia, quae ex prooemio contra fidem l. IV. elici possunt, quae causis illis non prolatis minimi fuissent momenti, speciem maximae gravitatis habent, quam per se omnino non habent, cum etiam contrarium docere videantur. Ante Wölfflinum iam Wachsmuthius vestigia falsarii in prooemio l. IV. invenisse sibi visus est. Uterque vir doctus hoc fere contendit: Causas, quibus auctor l. IV. se ad hunc librum edendum commotum esse dicit, inscitas, quin etiam, si Wölfflinum audias, ineptas esse. Nam alienum hoc a Frontini ratione esse, ut res cum libris tribus prioribus non cohaerentes libro quarto comprehenderet, sed a callido falsario propterea eius rei excusationem praemissam esse, ne qui discrepantia, quae esset inter libros I—III et IV, adducti librum IV a Frontino non conscriptum esse, crederent. Neque enim credendum esse Frontinum tam stultum fuisse, ut neglegentiae crimen a se removeret (,ne si qui forte in aliqua ex his incidissent, similitudine inducti praetermissa opinarentur.'), quod crimen omnino in eum proferri non posse, quoniam ipse libri quarti auctor materiem eius libri rebus libris III prioribus digestis dissimilem esse diceret. Sed mihi quidem Frontinus prooemio l. IV. aliud dicere videtur.

Primum enim cum Zechmeistero l. l. p. 232., d**i**scriptioni'[12]) pro ,d**e**scriptioni' scribendum est. Item pro ,alligat**a**' Wachsmuthius l. l. scribendum esse vidit ,alligat**ae**'[12]) sc. discriptioni, id est dispositioni, quae cum priorum librorum partibus conexa neque mutari neque amplificari poterat.

Quibus positis auctor l. IV. non ita inepte scripsisse mihi videtur, id quod iam Zechmeisterus l. l. commode significavit. ,Haec emim', ait ille, ,vult Frontinus: Hoc quarto libro ea exhibebo strategemata, quae cum discriptio sive distributio priorum exemplorum esset alligata ad singulas species, quas

12) Utrumque Gundermannus in textum recept.

cuique libro attribui sive per species esset illas praepedita, parum apte libris praecedentibus subici videbantur.‘ — Frontinus igitur dispositionem trium priorum librorum, quam cum capitum distributione accurate elaboratam habebat, in qua exempla collocabat quamque fortasse cum discipulis toto opere nondum confecto iam communicaverat (‚ut promissum trium librorum implerem‘) mutare noluit, quod exempla quaedam reliqua erant, quae quia non ad strategematon, sed potius ad strategicon genus pertinebant, antea conceptae distributioni inseri non poterant. Quare hanc residuam rem, quam ducibus cognitu utilissimam esse putabat, novo libro ordinatam atque digestam (‚in qua et ipsa[13]) [sc. re residua] ordinem per species servare conabor‘) comprehendebat.

Et profecto exempla, quae in libro IV. exhibentur, non ita a prioribus libris differunt. Nam cum libri I—III id consilium sequantur, ut ‚sollertibus ducum factis‘ propositis rei militaris exercitationem atque usum novellis atque imperitis ducibus tradant, liber IV. ita compositus est, ut doceat, quanti sint in re gerenda momenti admonitiones morales. Quae cum ita sint, Frontino, qui ducibus nondum peritis quasi artem scripturus erat, ea praecepta, quae libro IV exhibet, praetermittenda non erant, certe a labore atque opere eius aliena non sunt. —

Qua re ea, quibus in prooemio inter tres priores libros et librum IV. aliquid interesse admonemur, inconcinne atque inscite, nedum inepte dicta esse nobis non videbuntur, atque auctor eius prooemii, si modo est subditicium, calidissimus fuerit falsarius necesse est. Qua in re praesertim cum reputemus, quantam astutiam viri docti in ceteris quoque locis auctori l. IV. imputent, valde mirandum est, quod callidissimus homo in prooemio ipso, quo toti libro signum Frontinianae originis imprimere voluit, personam suam tam male tueatur, ut Wachsmuthius l. l. p. 577 putat. An eodem spiritu, quo se esse Frontinum callidissime simulavit, per hoc ‚et ipse,‘ id est sicut Frontinus, tam inscite sese prodere potuit? Itaque cum neque falsarius hoc ‚et ipse‘ scribere potuerit, quod stultum fuerit, neque Frontinus, quod obscu-

13) Sic pro codicum ‚et ipse‘ legendum puto, cf. infra de ea re.

rum erat, relinquitur, ut scripturam depravatam esse credamus. Scribendum est potius: ‚et ipsa‘ (sc. re residua) sicut in prioribus libris vel sicut antea, quod in deterioribus codicibus pro obscuro ‚et ipse‘ revera invenitur. Qua coniectura probata prooemium l. IV. nihil omnino continet, quo non Frontinum, sed falsarium quendam librum IV. composuisse significetur.

Deinde Wölfflinus in eodem prooemio verbis ‚multa lectione conquisitis strategematibus‘ iactationem a Frontini natura alienam inesse dicit. Sed primum in his verbis non ita magna iactatio reperitur, deinde etiam in prooemio libr. I—III. similia inveniuntur: ‚destinato, quantum nostra cura valuit, satisfecisse visus sim‘ vel ‚nostra sedulitas impendet operam‘ vel in prooemio l. III: ‚si priores libri responderunt titulis suis‘ — scilicet Frontinus non dubitat, quin responderint. — Sed mea quidem sententia ex nullo horum locorum, ne ex prooemio quidem l. IV. crimen ostentationis in Frontinum elici potest.

Item cum Wachsmuthio l. l. et Wölfflini[14]) l. l. non consentio de eo, quod ex extremis verbis prooemii libr. I—III. concludunt. Nam quamquam verba: ‚Si qui — posuimus interpolata esse concedam, tamen ex iis de auctoritate l. IV. quicquam coniciendum esse nego, cum verba illa ab eodem, qui librum IV composuit, inserta esse minime probari possit. Quae si quis interpolatori libr. I—III. deberi dicat, illum interpolatorem librum IV non conscripsisse infra demonstrare conabor. Cf. quoque Gunderm. ed. Front. p. XIII, § 9 et quaestt. p. 344.

Disputatione usque ad hunc locum perducta demonstrasse mihi videor certa indicia esse, quibus Frontinum librum IV. strategematon composuisse apertissime significatur, quae a falsario profecta esse non est, quod credamus, nisi ex materia et elocutione totius libri IV. proferri possunt, quae ad ea testimonia originis Frontinianae subvertenda valeant.

---

14) Wölfflinus iniuria iam in verbis: ‚Huic . . . credam‘ apertissima interpolatoris vestigia invenisse sibi videtur. Cf. quoque Gunderm. Quaestt. p. 320.

Caput II.

A.

De discrepantia quadam, quae inter materiem libr. I—III. et libr. IV. intercedit, quam auctor l. IV. ipse significat (‚diversae tamen erant substantiae‘ prooem. l. IV.) iam supra exposui, quid sentirem. Hoc loco tantum moneo auctorem l. IV. exemplum afferre nullum, quod, si temporum rationem respicias, a Frontino ipso scriptum esse neges. Cf. Wölffl. l. l. p. 88. Gunderm Quaest. p. 322.

B.

De ordine ac distributione materiae a Frontino tractatae. — Frontinus primo materiam, quam pertractare in animo habebat, in tres partes diviserat, quibus tres priores libri respondent, in quibus, ut utilitas postulare videbatur, certa capita facta sunt. Praeterea cum nonnulla exempla discriptione antea praefixa his tribus libris inseri non potuissent atque etiam his libris editis ex continuata lectione nova accessissent, ad hanc rem residuam expediendam quartum librum etiam ipsum capitum distributione ornatum edidit. Hoc consilium auctoris primo aspectu cognoscitur, minus dilucida est ratio in capitibus ipsis.

In libris I—III Wölfflinus capitibus nonnullis digestis maximam partem recte demonstravit, quomodo Frontinus singula singulorum capitum exempla ordinaverit. Sed demonstrandum quoque erat verba ipsa interdum ita esse electa atque verborum conexum ita esse factum, ut circuli quidam exemplorum, quae sententiarum vinculo inter se coniuncta sunt, etiam externa dictionis forma fingantur. Pauca exempli causa ex primo libro promam, quo melius quid sentiam cognoscatur.

I, 2 { 1. Servorum habitu —
     2. Tusco habitu —
   { 3. simulato exilio —
     4. per speciem —
   { 7. avium multitudinem . . . . consurrexisse —
     8 vim avium simul evolasse —

I, 3 { 1. vehementem exercitum . . . acie confligeret —
     2. veteranum exercitum . . . acie semper decertaret —

I, 8 { 1. populationem agrorum inhibuit —
     2. agris eius abstinuit —

I, 11 { 1. ultro simulaverunt cunctationem —
     2. simulavit unam legionem —

I, 11
8. Pollucem et Castorem adesse dicens —
9. Castor et Pollux . . . . adfuturos —
10. Deos Atheniensibus adesse —
11. praedici sibi a deis simulavit —
12. se dimicationum eventus praediscere —
13. praenoscere se adseverabat —
17. cum quosdam Persarum cepisset nudatos militibus suis ostendit; ut corpora contemnerent —
18. Cum multos cepisset . . . nudatum in conspectum eorum produxit, ut persuaderet contemnendos —
19. in excidenda silva eos fatigavit . . concitavit ad —
20. opere eos fatigando . , . compulit ad —

In his igitur exemplis, maximeque I, 11. 17—18 et 19—20, vide quam mire verba atque dictionis structura inter se congruant. Facile numerum eorum augere possum; sed ex iis, quae protuli, exemplis Frontinum externa iam nota exempla inter se coniunxisse satis apparere puto. Quod propterea accuratius exposui, quia auctorem l. IV. eadem ratione exempla exornasse, qua in libris I—III exornata vidimus, subinde demonstrare mihi in animo est, quod si effecero, haud levem inter libros I—III et librum IV. congruentiam ostendisse mihi videbor, quippe quae a falsario quodam vix fieri potuerit.

Rationes autem, quibus in singulis libr. I—III capitibus exempla ordinata sunt, multae ac variae sunt. Frontinus enim, cui semper usus librorum suorum ob oculos versabatur, modo hanc modo illam disponendi rationem adhibet, prout ea, quae singulis capitibus comprehendebat, postulare videbantur. Cf. Wölffl. l. l, p. 77/78. Jn libro IV autem, cum, ut iam identidem dixi, contineat res non omni in genere cum libris I—III congruentes eandem dispositionem inveniri posse credendum non est; quae quod ne bona quidem sit, eo minus mirandum est, quod quo magis Frontini ut ducis ingenium a moralibus animadversionibus alienum erat, eo habilius atque aptius fuit ad res, quae in sola rei militaris peritia positae sunt, digerendas atque disponendas. Vir enim militaris quamquam effectum et vim constantiae, continentiae, iustitiae intellegere atque exemplis collectis illustrare poterat, tamen ad harum rerum naturam et notionem definiendam idoneus non erat. Itaque cum discriptio capitum libr. I—III in usu auctoris ipso posita ei ultro se offerret, materiam l. IV. apte ordinare difficillimum erat.

Sed cave credas libro IV. meram inesse confusionem, ut Wölfflinus credere videtur; hoc quoque libro auctor, quantum

poterat, materiem singulorum capitum in certas partes secernere conatus est. Quod quo facilius cognoscatur, singula capita percensenda sunt.

Caput I. De disciplina.

Expl. 1—2. De disciplina quae in castris observanda sit.
Expl. 5—7. De iusto habitu atque vestimentis militum.
Expl. 8—9. Ordo in itinere observetur.
Expl. 10—13. Exempla, quibus quam severe in suos filios imperatores se gesserint, demonstretur.
Expl. 17—37. Docetur, quomodo duci in ignavos consulendum sit, ut milites ducem suum magis quam hostes metuant (17) (18—25 Si in totum exercitum —, 26—33, excepto No. 29, si in singulos milites animadvertendum est. 34—37 Decimus quisque ad supplicium legitur.) 39—40 Legati, qui imperia consulis neglexerunt, puniuntur.

Sequuntur exempla, quorum aliqua fortasse superioribus classibus inserenda erant; qua in re utrum auctoris neglegentia an interpolatoris vel librariorum culpa accusanda sit, diiudicari non potest. Sed libr. I—III quoque in longioribus capitibus ordinem omnibus in partibus servatum non esse iam Wölfflinus, l. l. p. 77. concessit.

Caput II. De effectu disciplinae.

In hoc capite copias quamvis parvas, sed bene instructas atque eruditas paene incredibilia efficere posse auctor exempla profert. Qua in re aeque atque apud verum Frontinum optime exempla Romana et externa distinguuntur.
Expl. 1—3. Exempla Romana.
Expl. 4—9. Exempla externa.

Caput III. De continentia.

Expl. 1 - 12. De continentia ac temperantia singulorum imperatorum. Hunc in numerum etiam expl. 15 (Mummius) referendum est, quod haud scio an a margine, ubi cum a librario praetermissum esset, postea additum in extremo capitis loco positum sit. Quo probato consuetudo Frontini, qui exempla Imperatoris Domitiani potissimum in fine capitum collocasse videtur, optime servata est. Cf. supra p. 8.
Expl. 13—14. De continentia universi exercitus.

Caput V. De constantia.

Expl. 1—17. De constantia imperatorum Romanorum (12—13 suum locum obtinere non videntur), in quibus artius coniuncta sunt: 1—2; 3—4; 7—8; 9—10 (11): [12- 13] 14—17.
Expl. 18—23. De constantia, quam cunctae civitates in obsessis urbibus praestabant.

Hoc igitur quoque in capite, si expl 12—13 excipias, exempla Romana et externa distinguuntur.

Caput VI. **De affectu et moderatione.**

Expl. 1. **Exemplum Romanum.**
Expl. 2—3. **Exempla externa.**
Expl. 4. **De Vespasiano.**

Caput VII. **De variis consiliis.**

Hoc in capite ob varias res, quas continet certus ordo non invenitur. Sed circuli quidam animadvertuntur: 1—2; 5—6 (pugna non initur), 12—13 (simulata vestis), 15—16 (hostes ne ad unum interniciantur), 17—18 (credulitate hostium utere!) aliaque.

Quibus expositis auctorem l. IV., quae sibi hoc extremo libro comprehendenda esse viderentur, quamquam non ita bene ordinavit, utpote quae ab ingenio eius aliena essent, tamen ordinem quendam servasse apparet, cuius principia eis, quae in libris I—III adhibuerat, quantum in diversitate materiae fieri poterat, similia sunt. Demonstrandum iam est in libro IV. aeque atque in libris I III exempla nonnulla dicendi genere atque verbis ipsis inter se artissime coniuncta esse, quam rem eo maioris momenti esse puto, quod hanc scribendi artem, quae non facile animadvertitur, a falsario intellectum esse vix credo; exempla quaedam proferam:

IV, 1 { 11. contubernalem habere —
{ 12. in contubernio habere —
{ 18. capti et postea remissi sunt —
{ 19, sub iugum missi — redierant —
{ 19. tendere extra vallum iussit —
{ 20. extra vallum iussit tendere —
{ 26. cincto togae praeciso in principiis stare —
{ 27. discinctos perstare in principiis iussit —
{ 28. perstare in principiis vestimenta per lictorem scidit —
{ 30. virgis animadvertit —
{ 31. virgis caesum —
{ 34. fusti percussit —
{ 35. et 36. securi percussit —
IV, 3 { 3. adeo pauper fuit —
{ 4. in summa paupertate decessit —
{ 5. in maxima paupertate defuncti —
IV, 4 { 3. hostes primus invasit —
{ 4. in medios hostes irrupit —
{ 7. incolumis Canusium pervenerunt —
{ 9. incolumis cum militibus consuli accessit —
{ 8. loco iniquo circumventus —
{ 9. iniquis locis comprehensus. —

Ex his igitur exemplis hanc quoque Frontini compositionis artem, quam supra p. 13/14 commemoravimus, auctorem l. IV.

secutum esse apparet, quod a falsario quodam fieri potuisse minime credo.

b. Quod deinde Wölfflinus inter elocutionem lib. I–III et lib. IV. tantum interesse putat, ut liber IV non ab eodem scribi potuerit, qui tres priores libros composuit, facere non possum, quin hoc iudicium reprobem. Nam auctorem l. IV omnibus in partibus contrarium Frontino facere, „dass er in allen Stücken sein Antipode sei,“ [15]) persuadere mihi non possum. Atque quamvis nonnullas v. d. animadversiones acute factas esse concedam, tamen omnes fere eius conclusiones esse nimis artificiosas neque quidquam ad probandum valere contendo.

Omnino autem librum IV cum libris I—III qui viginti fere exemplis exemptis purgati sunt recte comparari non posse puto nisi easdem rationes secutus librum IV quoque purgaveris. Sed Wölfflinus adeo hoc omisit, ut etiam ea quae ex libris I—III expunxit, libro IV attribueret. At interpolator, qui libros I—III auxit vel potius inquinavit, idem librum IV corrumpere poterat! An qui tres priores libros interpolavit, idem auctor l. IV sit necesse est aut auctori l. IV nisi gravissimae causae sunt, ea tribuenda sunt, quae librorum I—III interpolator peccavit? [16])

Wölfflinus atque ante eum Wachsmuthius librum IV a Frontino ideo non conscriptum esse credunt, quod dicta, quae in eo comparent, aliter atque in libris I—III proferantur. Qua in re Wölfflinus Frontinum plurimis locis cum auctore l. IV plane consentire nullo verbo tetigit. Sed in libro IV aeque atque in libris I—III inveniuntur:

,inquit': IV, 1.10 5,12 6,1 7,6 7,37.
,respondit': IV, 1.9 7,15; cf. I, 1.13
,dixit': IV, 3.2 5,3 6,3; cf. II, 8.12.

Quin etiam ,dicebat', quod a Wölfflino p. 86 l. l. nimis impugnatur, libro III, 9.1 simillime adhibetur ,deum ut dicebat, secutus.' Sed discrepantia, si qua in hac re inter libros I–III et librum IV intercedit, ex eo orta esse videtur, quod cum dicta libr. I—III certo rerum tempori respondeant neque consuetudinem eius, qui dicit, significent in libr. IV. temporis imperfecti nota, saepius postulatur, cum dicta eiusmodi sint, ut consuetudinem dicentis notent, cf. IV, 1.17 7, 1—3 ect. Sed hi

15) Cf. Wölffli. l. l. p. 80.
16) Cf. Gunderm. Quaestt. p. 335 et 341.

loci offensionem praebere videntur: IV, 1.1 (finis) (dixisse traditur) 1,3 5,13 7,4. (fertur dixisse.)

Talia cum in libris I—III non inveniantur, a Frontino scripta non esse Wölfflin l. l. magna cum probabilitate coniecit; sed cum ille hanc inter libros I—III et librum IV. discrepantiam a Pseudo-Frontino quodam, auctore totius libri IV, profectam esse dicat, ego manum interpolatoris, qui Frontini strategematon libros quattuor inquinavit, in his exemplis apparere puto. Nam nonnulla sunt, quibus adducamur ea exempla subditicia esse ut credamus.

Expl. IV, 1. 1. (finis). Initium huius exempli ex Livio (ept. 57) sumptum esse puto, cf. infra p. 37; at dictum Scipionis, quod in fine eius exempli legitur, quamquam ex eodem fonte peti potuit, tamen ab interpolatore postea adiectum esse coniciam. Hoc enim additamento clausulam expl. IV, 1.1 principalem suo loco motam esse verisimile est. Nam quae nunc in fine expl. IV, 1.2 leguntur: ,cum insuper prohibuisset alia carne quam assa elixave milites uti' primitus in fine expl. IV, 1.1 fuisse videntur. Quae verba si loco principali (IV. 1.1 fin.) reddideris, fore, ut aliae difficultates optime tollantur, infra magis idoneo loco ostendere conabor; cf. p. 43|44.

Expl. IV, 1.3 Hoc exemplum suspectum esse puto, quod et ordinem ducum Romanorum sine ulla causa interrumpit neque, quod est maximum, ad sententiarum conexum huius capitis quadrat. Nam cum auctor reliquis exemplis doceat, quomodo disciplina militaris restituatur, in hoc exemplo Pyrrhum ex grandibus militibus fortes reddere potuisse narratur. Quod quid sibi hoc loco velit, non intellego.

Expl. IV, 5.13. Hoc quoque exemplum nota suspicionis afficiendum est, quippe quod inter exempla Romana solum una cum expl. IV, 5.12 locum habeat; utrumque cum Plutarchi apophth. p. 235 et 225 congruit; ambo e dictorum collectione inserta esse puto, qua etiam Cicero, Tuscl. dispt. V, 14.42 et I, 42.101 usus est. Nam expl. 13. omnino non e Valerio petitum esse posse, ut Wachsmuthius vult (cf. l. l. p. 578|79), ostendam infra p 49|50.

Expl. IV, 7.4. Hoc exemplum tam incertae est enuntiationis — minime enim apparet, uter Scipio significetur —, ut

Frontinianae originis non esse videatur; nam ceteris in locis, quibus de Scipionibus agitur, semper est oratio ita formata, ut facile cognoscatur, utrum velit auctor accipi.

Nullum fere horum exemplorum eis, quae protuli, interpolatum esse probari haud ignoro, sed suspicionis nota certe afficienda sunt. Permagni autem hac in re est momenti haec exempla clarorum virorum esse dicta, quae facillime a lectore in margine, unde postea per librarium in textum venerunt, adscribi poterant. Quare interpolator, cuius vestigia alioqui in libro IV. apparere omnibus notum est, cf. IV, 3.10 7,11 5,14 (fin.)[17]) 3,13 (init), ante omnia dicta interpolavisse credendus est. Quodsi illa exempla, quae supra dixi (IV. 1.1 1,3 5,13 7,4) tamquam suspecta non respiciuntur, diversitatem libr. I—III et IV tantam esse nego, ut a diversis auctoribus eos scriptos esse credendum sit.

Deinde Wölfflinus librum IV. spurium esse inde colligendum esse credit, quod cum Frontinus fontes, ex quibus hauserit, certissimis verbis significet, Pseudo-Frontinus, cui exemplum debeat ubi indicat, certi auctoris nomen non affert, sed hoc fere modo scribit: ‚traditur', ‚memoriae traditum est' vel simititer. Sed ne in hac quidem re discrepantia inter libros I—III et librum IV. tanta esse videtur, quanta, si Wölfflini argumentationem sequimur, habenda est. Wölfflinus ipse concessit in libro IV. multa inveniri, quae cum Frontini genere scribendi bene concinant, ut IV, 1.16. ‚Cato memoriae tradidit' — et IV, 3.13: ‚memoriae tradidit Scaurus' —, quibuscum locis conferendum est: II, 5.3 ‚Livius auctor est' et II, 5.34: Livius tradidit'. Sed hi loci, in quibus certus auctor non est allatus, Wölfflinum offendunt:

IV, 2,1: memoriae proditum est.
3,1: M. Catonem . . fuisse traditur.
3,9: Aemilianum Scipionem traditur.
3,11: Masinissam . . . legimus.
5,14: Hunc quidam non C. Caelium, sed Laelium fuisse et Laelios, non Caelios periisse credunt.

Wölfflinus, quod pro sua de auctore l. IV. sententia ne potuit quidem, manum interpolatoris apparere in nullo horum

---

17) Cf. Gunderm. Commentt. Jen. 1881 p. 125 et quaestt. de Juli Frontini strategematon libris p. 335.

exemplorum significavit. Attamen sine dubio verba in fine IV, 5.14 ,Hunc quidam . . . . credunt'. Gundermanno auctore ut additamentum interpolatoris vel librarii delenda sunt. Ex reliquis quattuor exemplis vix quicquam de fide l. IV. colligendum esse puto, cum ea haud ita multum ab expl. I, 5.15 (cuius nomina varia traduntur.) differant. Praeterea IV, 3.9 et 11 suspecta esse videntur, cum eorum in vicinitate exempla legantur, in quibus procul dubio manus interpolatoris se prodit, dico IV, 3.10 et 13, quorum alterum (3,10) Wölfflinus ipse non ab eodem interpolatore vel potius falsario conscriptum esse putat, a quo totum librum IV. compositum atque libros I—III auctos esse opinatur; cf. l. l. p. 87|88. Ac ne ego quidem expl. IV, 3.10 ab eodem profectum esse credo, qui librum IV. conscripsit, sed postea esse interpositum atque ab eodem quidem, quem libros I – III quoque inquinasse apparet. Nam casui cuidam tribuendum esse vix credo, quod expl. quoque II, 11.16 et I, 7.7, quae iure a Wölfflino subditicia habentur, de Alexandro Macedone agunt. IV. 3.10: ,Idem et de Alexandro Macedone dicitur.' II, 11.16 ,Alexandrum quoque Macedonem traditum est' I, 7.7 ,Non alienus, ut arbitror, hic locus est referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile . .'

Quare maxime probabile est exempla subditicia (IV, 3.10 II, 11.7 I, 7.7) ab uno eodemque interpolatore inserta esse.

Deinde similia additamenta lib. I—III eandem manum, quae in exemplo IV, 3.10 comparet, id est posteriorem, quam quae librum IV conscripsit, prodere videntur, dico: III, 4.4: ,Idem **et** adversus Himeraeos fecisse dicitur.'

III, 13.4 Aliqui **et** . . . infulserunt.

I, 2.7 Est **et** aliud explorandi genus, quo ipsi duces nullo extrinsecus adiutorio per se provident Sicut].

Cum iis compara:

IV, 3.10: ,Idem **et** de Alexandro . . .'

Item ea exempla, quae in libris I - III vocula ,quoque' ut additamenta significantur, in libro IV. quoque subdita habenda sunt; nam II, 11.16, quod eidem interpolatori tribuendum est, cui IV, 3.10 vindicatur, hoc interpolationis signum prae se fert (Alexandrum quoque Macedonem . .). Quare haud scio an initium exempli IV, 3.13 (Universi quoque exercitus notabilis saepe

18) Cf. Commentt. Jen. p. 125 et 154 et quaest. p. 343/44.

fuit continentia sicuti —) interpolatori tribuendum sit. Memorabile quoque est, quod et II, 11.16 et IV, 3.13 notabilitas facti, quod narratur, praecipue praedicatur (II, 11.16: illud nobile — IV. 3.13: notabilis fuit continentia), id quod ceteris locis non fit. — Deinde IV, 3.13 eadem ratione nova capitis pars introducitur, qua in exemplo I, 2.7 (cf. sup.), cuius initium usque ad voculam ‚sicut' iure spurium habetur; utroque enim loco vocula ‚sicut' novum exemplum introducitur.

Quibus expositis cum interpolationes lib. I—III, quas supra enumeravi, cum locis l. IV, qui originis Pseudo-Frontinianae speciem prae se ferunt, praecipue IV, 3.10, artissime cohaerere videantur, has interpolationes ab unoeodemque profectas esse pro certo habeo, et cum expl. IV, 3.10, etiam Wölfflini sententia posteriori manui tribuendum sit, quam quae librum IV composuit, magna cum probabilitate omnes interpolationes libr. I—III, quas Wölfflinus ab eodem, qui librum IV. conscripsit, insertas esse nobis persuadere studet, aetate posteriores esse quam librum IV. concludendum est, ex quo efficitur librorum I—III interpolatorem librum IV componere non potuisse, quippe in quo ipso manus eiusdem interpolatoris appareat. Cf. Gunderm. quaestt. p. 335.

Vestigia igitur interpolatoris haud dubia, quae etiam in libro IV. inveniuntur, suadent, ne dicam postulant, ut etiam in eo libro ea, quae Frontinianae elocutioni obstare videntur, potius huic interpolatori quam auctori l. IV. ut falsario tribuantur. —

Quod iam Wölfflinus p. 75 l. l. a Frontino subiectum enuntiati („das handelnde Subjekt") in initio exemplorum poni solere dicit, etiam ipse auctoris diligentiam in fine operis (sc. libri III.) minutam esse videri adiecit. Hanc rem accuratius imquiramus. — Exempla, quae incipiunt ab ‚idem', ‚contra' (II,3.7), ‚eundem errorem' (I, 5.26) non sunt respicienda, cf. Wölffl. l. l. p. 74/75. Item III, 13.3 (spurium) IV, 1.25 (mutilatum esse puto) IV, 3.13 cf. supra p. 20|21. Exemplo II, 1.13 (Jugurtham . . . . constat) respondent IV, 3.1 (M. Catonem — traditur) IV, 3.11 (Masinissam-legimus) IV, 3.9 (Aemilianum-traditur.); sed cf., quae de expl. IV, 3.9 et 11 fide dixi supra p. 20. — Reliqua fere exempla, in quibus consuetudo Frontini, quam Wölfflinus animadvertit, servata non esse videtur, omnia fere eiusmodi sunt, ut a libris I—III non differant. Frontinus enim multis in exemplis non tam subiectum (enuntiati) quam nomen

proprium; etiam in casu obliquo de industria primo loco strategematon collocasse videtur, sc. ideo, quod exempla maiorem auctoritatem atque gravitatem habere viderentur. Exempla sunt haec:

II, 6.1 Gallos senatus — censuit.
II, 7.7 Hannibalem — reliquerunt
III, 5.3 A Torquato . . .
III, 14.2 Hannibale obsidente —
Ex libro IV. notanda sunt haec:
IV, 1.18 Appii Claudii sententia . . . .
IV, 1.20 P. Cornelio Nasica D. Junio coss.
Item IV, 1.24 et 44:
IV, 4.2 Ad Fabricium . . .
Similia inveniuntur: IV, 7.31 et 39; eodem referenda sunt:
IV, 5.21 Cyzicum cum oppugnaret . . .
IV, 7.40 = II, 4.15 Volscorum castra . . ., quibus adnotationem adiecturus sum.

Wölfflinus l. l. p. 79|80 cum propter alias causas, quas probare non possum, tum ideo exemplum II, 4.15 = IV, 7.40 (‚Volscorum castra cum prope a virgultis silvaque posita essent, Camillus ea omnia, quae conceptum ignem usque in vallum proferre poterant, incendit et sic adversarios exuit castris‘) ex libro II. removit, quod subiectum enuntiati ‚Camillus‘ in initio exempli non esset collocatum, quod Pseudo-Frontini consuetudini magis esse conveniens dicit. Modo autem huius simillima exempla etiam aliis libr. I—III locis extare vidimus, quare Wölfflinus hoc argumento uti non debebat, ut II, 4.15=IV, 7.40 libro IV. nativum locum habuisse nobis persuaderet, sed equidem cum propter alias causas (de quibus infra p. 26|27) hoc exemplum libro II. principalem locum obtinere conicio tum ex eo, quod subiectum (Camillus) primum locum non habet. Nam Frontinus de industria verba ‚Volscorum castra‘ expl. II, 4.16 praeposuisse videtur, quod hoc loco de cunctis nationibus dicturus est: II, 4.17 Hispani . . . II, 4.18 Falisci et Tarquinienses. Expl. II, 4.16, quod huic opinioni repugnare videtur, procul dubio interpolatum est, quoniam nationum ordo turbatur neque quicquam novi aut gravius affertur; accedit, quod in hoc strategemate ne auctor quidem significatur; vocula ‚omnis‘ ita posita est, ut Frontini usus non servetur; cf. Wölffl. l. l. p. 75. Similiter, ut

quod supra de initio strategematon dixi, exemplis allatis stabiliam, deinceps de cunctis nationibus agitur:
III, 15. 1 Romani. 2 Hi qui ab Hannibale Casilini obsidebantur. 3 Reliqui ex Variana clade. 4 Thraces.
III, 17. 8 Asculani. 9 Numantini.
IV, 5. 18 Petilini. 19 Hispani. 20 Casilini. 21 Cyzicum cum oppugnaret (pro Cyziceni). 22 Segovienses. 23 Numantini.

In numero exemplorum, quae modo attuli, IV, 5.21 quoque invenitur (Cyzicum cum oppugnaret Mithridates), quod supra una cum II, 4.15=IV, 7.40 memoravi. Hoc quoque in exemplo subiectum enuntiati nomine Mithridatis praeposito facillime in initio strategematis collocare potuit, sed hoc loco cum de universis civitatibus dicturus esset, ab hac consuetudine verbo ‚Cyzicum' anteposito de industria recessit.

Itaque exemplum II, 4.15=IV, 7.40 libro II. relinquemus, ut iam Wachsmuthius l. l. p. 577 voluit, cum septimo libri IV. capite eo loco, quem expl. II, 4.15 principalem obtinuisse Wölfflinus putat, de universis gentibus nihil referatur. Accedit, quod etiam sententiarum l. II, 4 conexus hoc exemplum sibi postulare videtur (II, 4,15: omnia, quae conceptum ignem usque in vallum proferre poterant, incendit — 16 interpol. — 17 vehicula taedae sebi et sulphuris plena incenderunt — 18 fasces et angues —) neque series nationum, quam Frontinus hoc loco observasse videtur, eo perturbatur.[19])

Restant exempla IV, 1.14 (castra antiquitus . . .) et IV, 1.38 (in legionem . .) et IV, 1.46 (Cum a Liguribus-), ex quibus non multum de auctoritate l. IV colligendum esse puto, praesertim cum in exemplo 1,38 subiectum personale non inveniatur, quare interpolatoris manum significari crediderim, et in expl. IV, 1,14 Frontini verba, nisi forte totum exemplum spurium est, a Pyrrhi vocula incepisse videantur.

Quod deinde Wölfflinus magnam inter lib. I—III et lib.

---

19) Utrumque Wölfflinus negat, cf. l. l. p. 75/76. Quaerenti autem, quare hostes turbentur (De acie hostium turbanda! v. capitis titulum), Frontinus exemplis II, 4.15—18 optime respondet: ‚Incendiis!' quorum varia genera profert. Nihil Frontini interest accuratius explicare, quid incendiorum usu efficiatur, (cf. Wölffl.); quare Wölfflinus vim atque conexum verborum, quae Frontinus hoc loco adhibuit, non recte intellexisse mihi videtur.

Item quare non tam exemplum 15 quam expl. 16 seriem nationum perturbet, non intellego.

IV. discrepantiam in significandis Scipionibus apparere dicit, eius ratiocinationem sequi non possum. Nam vel ex significationum indice, quem adieci, uno aspectu cognosci potest ex ea diversitate, si modo est diversitas, nihil colligendum esse.

Scipio maior.	Scipio minor.
Scipio: I, 3.8 12,1 II, 3.16 7,4 III, 6 1 9,1.	Scipio vel P. Scipio **II, 8.7** IV, 1.1.
P. Scipio: I, 3.5 II, 1.1 **IV, 7.30 7,39.**	Aemilianus Scipio IV, 3.9[20]) 7,27.
P. Cornelius Scipio: II, 3.4 III, 6.2.	Scipio Africanus IV, 1.5 7,4[21]) 7,16.
Scipio Africanus: I, 2.1 8,10 II, 11.5 5,29.	

Ex eo quod in lib. I—III Scipio maior, in lib. IV. Scipio minor cognomine Africani ornatus sit Wölfflinus de auctoritate l. IV. aliquid suspicandum putat. Sed praeterquam quod Scipiones maxime varie a Frontino significantur, Frontinus unum maiorem Scipionem cognomine Africani ornare non potuit; certe casu factum est, ut in libris I—III maior, in libro IV minor hoc cognomine ornaretur, cum ille (maior) libro IV tantum bis (7,30 et 39), hic (minor) libr. I—III tantum semel (II, 8.7) nominetur. Sed quod est maximum, exemplo suspicioso IV, 7.4 excepto Frontinus Scipiones summa rerum, quae narrantur, et nominibus, quae cum eis artissime coniuncta sunt, alterum ab altero distinxit. Ut cum maiore Scipione ponitur: Secundo Punico bello, Hannibal, Syphax, Hasdrubal aliaque; Scipio minor notatur verbis: Aemilianus, Numantia aliaque. Hac igitur re Scipiones distinguuntur, ut iam Wölfflinus (l. l. p 37) uno loco concessit. Nam ut ex indice, quem supra proposuimus, apparet, in libris I—III. et maior et minor (II, 8.7) solo nomine Scipionis vel P. Scipionis vel P. Cornelii Scipionis affectus est atque in libris I—III aeque ac libro IV. identidem significationes eiusdem Scipionis inter se simillimae inveniuntur, cf. I, 3.5 II, 1.1 cum IV, 7.30 et 39 (Scipio Africanus maior) vel II, 8,7 cum IV, 1.1 (Scipio Africanus minor) ect.

Quam ob rem Frontinum in libr. I—III Scipionem maiorem cognomine Africani a minore distingui noluisse apparet;

20) Cf. supra p. 19.
21) Cf. supra p. 18/19.

imprimis autem cave credas in libr. I—III Scipionem maiorem omnibus locis, ubi nominatur, cognomento Africani ornatum esse, contra in libro IV Scipionem minorem semper Africanum appellari. Sed si quis ratiocinationem meam non secutus miretur, cur Scipio maior in libro IV, minor in libris I—III Africani nomine non nominetur, multo magis mirandum est, quare Frontinus in strategematibus suis semel tantum Scipionem minorem commemoravit (II, 8.7), quod fieret, si librum IV spurium esse statueremus.

Omnes viri docti, qui adhuc libris Frontinianis strategematon operam dederunt, fere semper id egerunt, ut quam potest accuratissime demonstrarent, quibus rebus hae duae partes inter se dissentirent; quare ut recte de fide l. IV. iudicetur, utile futurum esse spero inquirere, num concentus quis inter libros I—III et librum IV. animadverti possit. — Utraque autem in parte saepissime, ut paucis verbis quam plurimum dicatur, in exemplis componendis participia adhibentur sive particulis copulativis inter se coniuncta sive particula non posita alia aliis subiecta, quod tam saepe fit, ut ex hac exemplorum structura aliquid de cohaerentia lib. I—III et IV. conici possit. Pauca affero:

I, 1,7 Mithridates circumvallante Pompeio fugam in proximum diem moliens huius consilii obscurandi causa latius et usque ad adplicitas hosti valles pabulatus colloquia quoque cum pluribus avertendae suspicionis causa in posterum constituit, . . .

II, 4.5 C. Sulpicius . . . dimicaturus iussit muliones . . . abire et . . . conserto iam proelio velut equis insidentes ostentare se pugnantibus; quare Galli existimantes . . . cessere.

III, 3.5 Philippus . . . exclusus . . Apollonio . . corrupto persuasit, ut plaustrum . . . oneratum poneret. Confestim deinde signo dato insecutus oppidanos circa impedita portae claustra trepidantes oppressit.

IV, 4.1 Camillo Faliscos obsedenti ludi magister liberos Faliscorum tamquam ambulandi causa extra muros eductos tradidit dicens retentis eis... civitatem imperata facturam. Camillus . . . restrictis manibus magistrum virgis agendum . . . tradidit . . . adeptus victoriam, quam . . .

V, 5.17: M. Cato Censorii filius in acie decidente equo prolapsus . . veritus ignominiam rediit in hostem exceptis-

que aliquot vulneribus recuperato demum gladio reversus est ad suos.

Similia inveniuntur in his exemplis:

I, 1.7 et 11 5,12 6,2 8,11 10,2 12,1 et 5.

II, 2,12 4,5 5,5.12.19.24 11,14 13,3.

III, 3,4.5 6,1 et 5 9,2 10,6 15,5 17,2.3.6.

IV, 1,1.23. 39 2,8 4,1 5,2.5 14.16.17 6,4 7,8.20.22 ect.

Tam igitur notabilem inter libros I–III et librum IV. consensum non casu factum, sed unius scriptoris ingenio et consilio tribuendum esse pro certo habeo.

Hoc loco, quo de exemplorum structura loquor, ad Wölfflinum revertar necesse est, qui in constructione exemplorum lib. I—III et IV eam diversitatem invenisse sibi videtur, ut Frontinum strategematon eventum aliter ac Pseudo-Frontinum significare dicat. Cf. l. l. p. 74 sqq. Frontinum enim uti septies particula ‚et ideo' ‚ideoque' et duodevicies ‚atque ita', cum Pseudo-Frontinus, qui nullam harum adhibeat, clausulam strategematon per ‚et sic' indicet. Qua in re quod Wölfflinus de ‚et ideo' ‚ideoque' ‚atque ita' profert, verum esse concedendum est, sed quod de particula ‚et sic' dicit reprobandum esse puto. Nam si disputationem eius solam respicias, Pseudo-Frontinum, qui vocatur, hanc particulam (et sic) in exemplorum conclusione unam adhibere neque ullum in hac re consensum inter libros I-III et IV. apparere credas necesse est. Vir enim doctus Frontinum l. I—III hac particula eadem fere ratione uti, qua Pseudo-Frontinus, omnino non notavit, sed praeterquam quod hanc rem ne verbo quidem attigit, contra ex libro II. exemplum in librum IV. transferendum censet, in quo ‚et sic' legitur, dico II, 4. 15. IV 7. 40. Nam cum ‚et sic' in Frontini dicendi rationem non cadere opinetur, sed Pseudo-Frontini, expl. II, 4.15 = IV, 7.40, quod hanc particulam continet, in libro IV. locum principalem obtinuisse credit.

Sed cum expl. II, 4.15=IV, 7.40 priore loco ponendum esse mihi videar demonstrasse, cf. supr. p. 22|23, Wölfflini ratiocinationem non iam plane constare apparet, praesertim cum in libro IV. duo tantum exempla legantur, quae ‚et sic' exhibent:

IV, 7.24 . . . misit qui . . . dicerent totum exercitum volonum vicisse videri, quod hostes fudissent: **et sic** eos . . . recepit.

IV, 7.32 . . . ora oculosque eorum gladiis peti iussit, **et sic** aversam aciem cedere coegit.

Equidem ex duobus eiusmodi locis omnino non multum de dicendi consuetudine scriptoris colligendum esse puto; accedit, quod Frontinus l. I – III similia praebet: I, 11.8 A. Postumius . . animos suorum erexit, Pollucem et Castorem adesse dicens **ac sic** proelium restituit.

I, 3. 8 Scipio . . . necessitatem Carthaginiensibus imposuit revocandi Hannibalem: **sic** . . . . transtulit bellum.

His in exemplis particula ‚sic' eventum strategematon indicari, quis est, qui neget? Quodsi expl. II, 4.15, quod libro II. iure ac merito vindicandum esse puto, cf. supr. p. 22|23 huc referas, quid interest inter libros I—III et librum IV? Nam quod in libro IV appositum est ‚et', cum in libro I—III praeter II, 4.15 (et sic) ‚ac sic' vel merum ‚sic' inveniatur, nihil ad rem facit, quoniam aliis quoque in clausulis modo legitur particula copulativa modo deest, velut ‚atque ita' ‚et ita' (I, 6.3 II, 7.10) ‚itaque' (I, 2.8); contra ‚ita' I, 1.9 3,3.5 II, 3.3 ect.

Praeterea Frontinus aliis locis particula ‚sic' simillime utitur ita ut, quamquam strategematon ipse eventus atque finis non indicatur, tamen medio in exemplo sententiarum clausula describatur.

I, 10.2 Idem (Sertorius) . . permisit turmae . . . ire laborantique submisit alias **et sic** recepit omnes; tum utrisque tutis . . . ostendit, quis exitus . . . (cf. IV, 7.24: **et sic** . . . eos recepit.)

II, 5.31: **sic** legio quoque . . . . elisa est

Quibus expositis Frontinum in libris I — III ab usu particulae ‚sic' tanquam clausulae strategematon non plane abhorruisse apparet.[22])

At Frontinus l. I—III duodevicies ‚atque ita', septies ‚et ideo' ‚ideoque' adhibuit, Frontinus l. IV. nullam earum particularum exhibet! Ea discrepantia, quam non esse denegandam concedo, quaecunque eius fuit causa, non magni est momenti, quod ceteris in rebus plurimis locis structurae exemplorum lib. I—III et l. IV. mirum in modum inter se concinunt. Nam etiam in eis exemplis, quae particula conclusiva carent, exitus et in libris I—III et in libro IV. saepe ita formatus est, ut de communi auctore lib. I—III et IV. vix dubitari possit. Qua in re id maximi momenti est, quod similitudo, cum primo aspectu

22) Idem Gundermannus, quaestt. Front. p. 327 iudicat.

non facile cernatur, a falsario profecta esse non potest, qui ne frequentem quidem ac conspicuum usum particularum ‚atque ita' ‚et ideo' ‚ideoque' surripiebat.

Respicienda autem est in his exemplis cum tota enuntiati forma tum vis atque positio particulae ‚que', qua et novum momentum plerumque constructione participiali adhibita adfertur, quo eventus strategematon efficitur et eventus ipse indicatur:

I, 5.13 . . . conversoque agmine ignarum rei quae agebatur, exercitum incolumem reduxit.

II, 8.6 . . . reductisque in aciem victoria potitus est.

II. 5.8 effusisque eis ex more repente adortus et desertum proruit vallum et castra cepit.

III, 2.5 effusisque oppidanis . . . cepit urbem.

III. 10.2 . . insecutisque temere oppidanis . . . oppidum invasit.

IV, 5.15 . . . admissisque . . . equis advecti (sic Hartel l. l.) victoriam patriae contulerunt.

IV, 5.17 exceptisque aliquot vulneribus . . . reversus est ad suos.

II, 5.11 exceptique ab insidiatoribus fusi sunt.

IV, 7.7 terrendique hostis causa. —

II, 5.34 eoque proelio fiduciam regi . . . detraxit.

III, 1.1 eoque impetu . . . aggressus est . .

IV, 5.1 eaque invidia redegit eos ad modestiam.

Similiter: I, 5.2 II, 1.1 IV, 7.6 7,39; I, 4.14 IV. 7,17; I, 1.16 5,24 IV, 7.7 et 33; aliaque.

Deinde hae clausulae animadvertuntur:

I, 1.5 atque inter eam dissimulationem . . .

IV, 4 2 atque ea fide meruit, ut . . .

IV, 5.16 atque ab eo . . . transverberatus . . .

II, 5.18 hac persuasione sollicitati . . .

IV, 7.18 ea persuasione avocatos . . . .

II, 7.13 et hac assimulatione . . .

II, 11.4 et hac asseveratione . . .

Relativi quoque pronominis in clausulis usus notandus est:

I, 2.3 qua is potitur . . . faciebat.

IV, 7.21 qua ratione confirmatis militibus victoriam consecutus est.

II, 7.12 quo instinctu assecutus est, . . .

III, 8 2 qua asseveratione perterriti . . . defecerunt.

IV, 7.20 cuius exspectatione territum vicit hostem.

II, 9.6 qua exspectatione assecutus est, . . .

Similia inveniuntur: I, 3.2 10,4 11,6 et 9 et 10 II, 2.7 3,16 8,8 III, 5-2 6,5.6 17,6 IV. 2.1 5,4 7,10.26 aliaque.

Sed non modo exemplorum lib. I—III et IV. structura maximam praebet aequalitatem, sed etiam haud pauca vocabula inveniuntur, quae Frontinus l. I — III, pariter amplexus est ac Frontinus l. IV.

Wölfflinus ipse nonnulla affert, sed aliud secutus consilium: ‚subinde', ‚quodam deinde tempore', ‚tum cum maxime', ‚adventare' aliaque falsarius Frontino sollerter surripuisse creditur. Sed eiusmodi proprietates dictionis tam multae sunt, ut falsario cuidam eas adscribere animum inducere non possim, praesertim ei, quem per ‚et ipse' in praefatione l. IV. ipsum se prodidisse Wachsmuthius credit, cf. supra p. 7.

Frontinus atque Pseudo-Frontinus, qui vocatur, aeque amant particulam ‚**velut**' cf. I, 4.12 5,10 II, 3.14 4,5 5,2.10.13. 19 24.31 III, 6.38,20,3 17,6 IV praef. 1,14.25.43 Idem dicendum est de ‚**deinde**'. quod in conformatione exemplorum multum valet, cum in libris I—III circiter quadragies, in libro IV decies adhibeatur; aequo autem amore Front. l. I—III et Front. l. IV amplexi sunt verbum ‚**compellere**' cf. I, 2.2 7,2; II, 2.14 3,1 9,6; III, 4.6 7,1 15,6; IV, 4.2 5,21. Deinde ‚**infestare**' quod in lib. I—III saepe legitur (I. 3 9; II, 1.8 3,16; III, 6.1) in libro IV quoque reperitur IV, 7.13. ‚**Universus**' positum est I, 1.2 4,9 5,6.10 9,2; II, 1.8 5,26.33 11,15; III, 6.6 17,27; IV, 7. 6. 8.22 17.33.

Etiam maiorem habent gravitatem proprietates grammaticae, quae utrique parti communes sunt quaeque unumeundemque auctorem ut accipias suadere videntur, ut vox ‚**dies**' proprie adhibita est; plerumque enim est masculini generis, ut I, 4.5 11,3; II, 1.5 13 13,7; III, 2.7.8. 3,2 11,4 IV, 1.43 7,13 aliis locis; feminini generis, si diem certam significat, cf. ‚constituta die' aliaque. Sed aliis quoque locis, quibus praestituta dies non notatur, et in libr. I – III et libr IV haec vocula feminino generi usurpatur. I, 1 12 II, 4 6 IV, 7.22 (postera die) I, 11.19 1,7 (tota die, proxima die). ‚**Imperare**' interdum cum infinitivo coniunctum legimus, cf. I, 10.1 IV, 1.16, — Hoc loco iterum ad Wölfflinum redeo, qui (l. l. p 90) pronominis possessivi ‚**suus**' usu Frontinum et Pseudo-Frontinum magnopere inter se differre plurimis verbis contendit. Sed equidem librum IV. cum libris I—III hac in re ita consentire puto, ut meliorem consensum

non requiras. Exempla autem, quibus Wölfflinus ad hanc diversitatem lib. I—III et lib. IV. statuendam adductus est, leguntur IV, 1.10 1,32 7,30. Wölfflinus Pseudo-Frontinum his locis cum vocabulis cognationem significantibus pronomen reflexivum sine ulla causa coniunxisse affirmat, id quod apud Frontinum non inveniatur, nam III, 3.3 ubi ‚filium suum' reperiatur, vocem ‚suum' ita positam esse, ut ‚proprii' significatio requiratur. Sed Wölfflin. in l. IV. exemplis, quare commotus auctor pronomen reflexivum posuisset, ommino non quaesivisse videtur; quod si fecisset, hoc ‚filium suum' (1,10) et ‚fratrem suum' (1,32) iure ac merito scriptum esse invenisset. Nam in his exemplis pronomen ‚suum' appositum est, quo melius severitas fratris in fratrem, patris in filium praedicetur non aliter atque in expl. III, 3.3. Exemplum vero IV, 7.30, quod Wölfflinum maximam partem ad iudicium perduxisse videtur, ommino non respiciendum est, cum illud ‚suum', quod Wölfflinum offendit, merae Dederichii coniecturae debeatur. Optimi codices ‚suum' non exhibent. Quare quid de Wölfflini argumentatione iudicandum sit, facile est intellectu. Cf. quoque Gunderm. quaestt. p. 324.

Non plus profuit Wölfflino, quod de ‚**ad**' et ‚**apud**' praepositionibus dicit, l. l p. 73.

Frontinus, ut Wölfflinus dicit, praepositione ‚ad' cum ad urbem, prope quam pugnatum est, significandam utatur, praepositionem ‚apud' adhibuit, cum de urbium obsessionibus loquitur; at Pseudo-Frontinus ad urbes obsessas significandas etiam ‚ad' praepositione utitur, ut IV, 1.1 et 7,27. Quam animadversionem nonnihil momenti habere concederemus, si Wölfflinus eiusmodi plura proferre posset et si Frontinus praepositiones illas omnibus locis, qui huc referendi sunt, talem in modum revera adhiberet. Sed III, 17.4 aeque atque in libro IV praepositio ‚ad' usurpatur: ‚Cn. Pompeius circumsessus ad Dyrrhachium non tantum obsidione liberavit suos . . . .'

Deinde ‚apud' ad proeliandi locum notandum in usum vocatur: IV, 7.43, quod exemplum Hedickeio auctore (cf. Herm. VI p. 154—64) iure libro II,9 (8) inseritur: ‚Miltiades cum ingentem Persarum multitudinem apud Marathonem fudisset' . . . Item II, 2.4 ‚Lucullus . . . apud Tigranocertam dimicaturus . .' Quae cum ita sint, Wölfflini de hac re ratiocinatio nihil valet, praesertim cum in libro IV pariter atque in libris I—III prae-

positio ‚ad' plerumque ad proelii locum significandum adhibeatur, cf. IV, 5.5 (ad Cannas) 7,25 (ad Trasimenum) ect.

Deinde non plane silentio praetermittendum id est, quod et in lib. I—III et lib. IV. nominibus saepe additamentum praepositionale adiectivi loco liberrime accedit, cf. I, 2.5: M. Cato in Hispania. I, 4.4 Nicostratus dux Aetolorum adversus Epirotas. II, 1.2 Metellus Pius in Hispania adversus Hirtuleium. III, 1.2 M. Cato in Hispania III, 3.6 Hannibal apud Tarentum. IV, 1.15 P. Nasica in hibernis. IV, 1.43 C. Curio consul bello Dardanico circa Dyrrhachium. IV, 7.30 P. Scipio in Lydia. Similia: I, 3.4 5,12.16 11,1; II, 1,1.15.16 3,16 4,6 5,31—33; III, 6,6 10,2.9 11,3 17,5; IV, 1,1 5,8 7,20—22.30.

Duabus quoque in partibus (l. I—III et IV) aeque particula ‚ut' finale omissa est, velut I, 4.7 (praecepit ipsam oram maris legerent) I, 5.24 (imperare), item I, 11.2 II, 1.8 5,4; III, 9.4 12,1 (denuntiare), IV, 5.7 (suadere) IV, 7.28 (praecipere). Item ex verbo ‚imperare' infinitivus activi pendet, cf. I, 10.1 (robustiori imperavit equo . . . caudam abrumpere, gracili per singula vellere . . .) IV, 1. 1 quibus . . . portare . . . cibaria imperabat) IV, 1.28 (perstare in principiis . . . imperavit.)

Ablativis quoque absolutis pronomina ita adiecta sunt, ut quamquam in latinitate non inauditum est, tamen rarissime inveniatur, cf. I, 6.2 (Idem hostibus tergum eius prementibus collocavit) II, 8.13 (Divus Julius ad Mundam referentibus suis pedem, . . . iussit) III, 12.1 (Alcibiades . . . civitate sua obsessa . . . denuntiavit). IV, 1.41 (Manlius filius exercitu pro se . . . parante negavit.) IV, 3.12 (M. Curius cum victis ab eo Sabinis . . . . contentus fuit.) —

Non omnia, quae Wölfflinus de fide l. IV. protulit, a me satis refutata esse haud ignoro, sed id quidem me demonstrasse spero argumenta Wölfflini non tam ideo probabilia videri, quod per se magnam habeant auctoritatem quam quod artificiose conexa atque etiam interdum non integre adhibita sunt. Quare si mihi contigerit, ut diversitatem fontium, a Wachsmuthio et Wölfflino nimis pressam, ne dicam omnino non constare, sed non tantam esse demonstrem, ut ex ea libros I—III et librum IV ab eodem auctore conscriptos esse

coniciendum non sit, liber IV strategematon Frontinianorum etiam non imprudentibus (cf. Wölffl. l. l.) fortasse genuinus videbitur. —

C.

De fontibus. Wachsmuthius l. l. p. 578|79 auctorem l. IV, fontibus usum esse dicit, qui in libris I—III non compareant; nam cum Frontinus I—III Valerium Maximum[23]) nullo loco adhibuerit, in libro IV tringinta duo exempla Valerianae originis inveniri. Sed Wachsmuthius, qui in nullo exemplo sententiae suae causas affert, primo tantum aspectu iudicavisse videtur, cum primo tantum aspectu pleraque eorum exemplorum e Valerio Maximo sumpta esse videantur. Nonnulla, de quibus Wachsmuthius non recte iudicaverat, a Wölfflino (l. l. p. 80) et Gundermanno (Commentt. Jen 1881 et quaestt. Front. p. 321 sqq.) correcta sunt, sed summum de fontium diversitate iudicium Wachsmuthii quaeque ex ea conicienda esse illi videbantur, ab his mutata non sunt. Nam Wölfflinus quoque a Pseudo - Frontino Valerium Maximum viginti circiter locis exscriptum, quin etiam expilatum esse opinatur. Deinde propriam de fontibus Frontinianis quaestionem instituit Bludauius (dissert. inaug. Regiomont. 1883), quae tamen tantum ad libros I—III pertinet, cum Bludauius libro IV ut a Wachsmuthio et Wölfflino falso notato operam atque diligentiam navandam sibi non esse putaret; cf. Blud. p. 1 et 37. Sed cum, si de fontium diversitate lib. I—III et lib. IV agitur, imprimis sciendum sit, quos fontes Frontinus I—III adhibuerit, ante omnia dissertationem Bludauianam inspexi; sed brevi illius opera hac in re me minime adiuvari intellexi, cum nihil fere ille profecerit, quod non Wachsmuthius et Wölfflinus vidissent. Perquam autem vituperandum est, quod Bludauius nonnullis locis sententias contrarias, quae ab aliis prolatae sunt, non modo non reprobare conatus est, sed ne verbo quidem attigit. Ut singula ex multis promam: stratg. I, 9.4 Wölfflini sententia

23) Factorum et dictorum memorabilium libri novem ed C. Kempf, Berol. 1854.

tumultum spectat, quem decima Caesaris legio belli Africani temporibus Romae moverat (cf. Herm. IX p 85|86), Bludauius, qui Caesaris commentarios de b. Gall. I. 40 a Frontino inspectos esse dicit, de Wölfflini sententia nihil disserit. Deinde in expl. I, 11.11—13 Wölfflinum iniuria opinatum esse ea exempla e Valerio Maximo hausta esse admonendum erat Bludauio, cum ipse eorundem exemplorum fontem Livium et Sallustium esse dicat, cf. l. l. p. 33 et 24. Quid quod idem Hedickei disputationem „Ueber eine Blattversetzung im Frontin" Herm. VI p. 156—64 prorsus omisit ac ne Hildesheimeri quidem dissertationem de libro qui inscribitur de viris illustr. urbis Romae (Berol. 1880) legisse videtur? Notandum quoque est, quod cum expl. II, 5.20 procul dubio Caes. b. Gall. VI, 7—8 fons sit, Bludauius Caesarem b. Gall. VII, 59 a Frontino exscriptum esse credit. Atque hoc loco fons, quo Frontinus usus esse dicitur, etiam exstat!

Copiosius de Bludauii opera dixi, ut quibus ex fontibus Frontinus I—III hauserit, adhuc minime constare cognoscatur.

Nuperrime Gundermannus in quaestionibus de Juli Frontini strategematon libris, quas identidem commemoravi, pauca de fontibus disseruit neque Wachsmuthii et Wölfflini iudicium de usu Valerii Maximi improbavit. Equidem de fontibus Frontini I—III quaestionem longiorem instituere in animo non habeo, quod quamquam utilissimum est, tamen huius dissertationis fines longe egreditur; sed hoc loco tantum accuratius inquiram, num v. v. d. d. de fontibus l. IV. recte disputaverint; qua in re omnem fere operam navabo necessitudini, quam inter Frontinum lib. IV. et Valerium Maximum intercedere v. v. d. d. putant, quippe quae una fere eos adduxerit, ut librum IV. strategematon a Frontino conscriptum non esse crederent.

Si Wachsmuthii sententiam sequimur, Frontinus vel potius falsarius his locis Valerium Maximum exscripsit:

Fr.	Val. Max.
IV, 1,1	II, 7.1.
1,2	7,2
1,17	7,2 ext.
1,18	7,15b.
1,23	7,10.
1,26	7,9.
1,31	7,4.

Fr.	Val. Max.
IV, 1.32	7.5.
1,38	7,15e.
1,39	7,8.
1,40	7,6b.
1,42	7,11.
1,44	7,15c.
1,46	7,15d.
1.13	V, 8 4.
3,1	IV, 3 11.
3,12	3,5b.
3,3	4,6.
4,1	VI, 5.1.
4,2	
5,4	III, 2.5.
5,16	2,12.
5,17	2,16.
5.23	III, 2.7 ext.
5,13	7,8 ext.
5,14	V, 6.4.
5,15	6, 5–6.
5,20	VII, 6.2.
6,3	V, 1.1 ext
7,29	II, 3.3.
7,36	VII, 3 7.
7,39	V, 6.7.

Wölfflinus, qui non omnibus his locis Valerium fontem Frontini fuisse concedit, tamen viginti fere exempla sine dubio ex Valerio Maximo a Pseudo-Frontino exscripta esse contendit.[24]) Quod si recte iudicaverit, iure mirandum est, quod cum in libris I–III ne vestigium quidem Valerii Maximi appareat, liber IV. tot exempla praebet, quae e Valerio exscripta sunt. Sed in hac quoque re non easdem rationes, quibus in libris I—III examinandis usi sunt, in libro IV secutos esse viros doctos persuasum habeo.

Primum in lib. I—III quoque Valerii Maximi vestigia apparent, id quod etiam a Wölfflino agnoscitur; nam expl I, 11.

24) Cf. l. l. p. 88. Expl. IV. 7.39 fortasse ex Livio XXII, 53 fluxisse v. d. conicit.

11—13 Valerianae esse originis[25]) putat, sed ob id ipsum ea non a Frontino composita, sed ab interpolatore inserta esse levioribus causis allatis dixit. Bludauius, qui Wölfflini de his, exemplis iudicium non respicit, expl. I, 11.11—12 Livium, expl. I, 11 13 Sallustium (hist.) Frontino praebuisse putat, sed cur non potius Valerius, quocum Frontinus valde consentit, cum Livii et Sallustii verba non iam exstent, fons habendus sit, ne verbo quidem significavit. At si de l. IV. fontibus agituri etiamsi verba libri IV. cum Livianis concinunt, tamen sine ulla dubitatione ex Valerio potius petita esse dicunt, si vel minimi cum eo consensus vestigium esse videtur.

Aliam atque probabiliorem viam Gundermannus (l. l. p. 337-38) ingressus est. Nam cum Frontinum quoque lib. I—III cum Valerio nonnullis locis mire consentire eum non fugisset, utrumque ex eisdem collectaneis cum aliis in exemplis tum I, 11. 11—13 pendere suspicatus est. Qua in re ei plane assentior.

Conexus igitur quidam inter Valerium Maximum et Frontinum I—III quoque statuendus est. Sed revertamur ad necessitudinem, quam inter librum IV et Valerium intercedere viri docti putant.

E numero exemplorum, quae Frontinus l. IV. ex Valerio hausisse dicitur, primum magna cum probabilitate novem Livio tribuenda sunt: 1,44 1,39 7,29 1,38 1,46 1,1 5,23 3,12 4,2.

Expl. IV, 1.44 ex Val. Max II, 7.15 c. cf. Wachsm. l. l.

Quam perverse huius de exempli fonte Wachsmuthius iudicaverit, ex sola collatione auctoris l. IV. Livii XXV, 7, Valerii Maximi II, 7.15 c apparet, ex qua auctorem l. IV. ex Livio sumpsisse concludendum est, quem Frontinum l. I—III et l. IV. alioquin saepissime adhibuisse omnibus notum est. Cf. Wölffl. l. l. p. 81.

Fr. IV. 1.44. Q. Fulvio Appio Claudio consulibus milites ex pugna Cannensi in Siciliam a senatu relegati postulaverunt a consule Marcello, ut in proelium ducerentur. Ille senatum consuluit; senatus negavit sibi placere committi	**Liv. XXV**, 5—6. ...relegatus in Siciliam... ne ante Punici belli finem in Italiam reportarentur. **Liv. XXV**, 7: Ita decrevit senatus militibus, qui ad Cannas commilitones suos pugnantes deseruissent, senatus nihil

25) Cf. de his exemplis Kempfii iudicium. ed. Val. Max p. 123 adn.

his rem publicam, qui eam deseruissent; Marcello tamen permisit facere quod videretur, dum ne quis munere vacaret neve donaretur neve quod praemium ferret, dum Poeni in ea fuissent.

videre, cur res publica committenda esset. Si M. Claudio proconsuli aliter videretur, faceret, dum ne quis eorum munere vacaret neu dono militari virtutis ergo donaretur neu in Italiam reportaretur, donec hostis in terra Italia esset.

Val. Max. II, 7.15 c.

Parem iram senatus adversus illos destrinxit, qui apud Cannas rem publicam deseruerant. Nam cum eos gravitate decreti ultra mortuorum conditionem relegasset . . . acceptis litteris rescripsit indignos esse, qui in castra reciperentur. Ceterum se ei permittere, ut faceret quod expedire rei publicae iudicasset, dum ne quis ex his munere vacaret aut dono militiae donaretur aut in Italiam, donec hostes in ea essent, accederet.

Quae si accuratius inter se contuleris, verba ac litteras senatus decreti apud Frontinum aliquanto propius ad textum Livianum accedere quam ad Valerianum invenies, deinde hoc ‚in Siciliam a senatu relegati‘ admonet nos de Liviano ‚relegatus in Siciliam‘ (XXV, 5) in quo Valerium relegationis locum omnino non exhibere notandum est; postremo hoc: ‚committi rem publicam‘ et ‚aut in Italiam reportarentur‘ (bis apud Livium!) procul dubio Livium spectat, qui eadem fere verba habet, cum Valerius priorem vocem omnino non praebeat, posteriorem multo aliter: ‚aut in Italiam accederet.‘

Itaque cum nihil inveniatur, quod ex Valerio haustum esse necessario credendum sit, at summa cum Livio consensio fortuita esse non possit, nonne Livium potius quam Valerium fontem huius loci fuisse credemus?

Expl. IV, 1. 39 ex Val. II, 7.8 (Wachsm.)

De hoc exemplo cf. Gunderm. commentt. Jen. 1881 p. 147, qui non Valerium, sed Livium VIII, 29 fontem Frontini l. IV. fuisse iure ac merito contendit. Cf. ex copiosissima Livii narratione: **Liv. VIII,** 32,4: contentione profugit. **Fr.** profugientem. **Liv. VIII,** 34.5: iusta poena remissurum . . et VIII,3 5.1 . . poenam remitteret. **Fr.** remisso supplicii metu. **Liv. VIII,** 35.4 procumbere ad genua **Fr.** ad genua provolvere. **Val. Max.** supplex petere.

Quamquam quae attuli, pro copiosa Livii narratione non ita sunt conspicua, tamen auctorem l. IV. in hoc exemplo conscribendo Livii verba ob oculos habuisse satis docent, non Valerii Maximi, de quo nihil nos admonet. —

Expl. IV, 7. 29 ex Val. Max. II, 3.3 (Wachsm.) Livius XXVI, 4 fons habendus est, cum hastarum longitudo ex solo Livio, certe non e Valerio peti potuerit. **Liv.** XXVI, 4: septena iaculi quaternos longa pedes. **Front.** septenis singulos hastis quaternorum circiter pedum. —

Expl. IV, 1.38 ex Val. Max. II, 7.15e (Wachsm.) Livius XXVIII. 28, ubi tantum ad res, quae libro XV narratae erant, animos legentium revocat, cum Frontino optime consentiens praebet: ‚milia hominum quattuor;' cf. quoque ept. XV (tota legio) et XXXI 31.[26])

Valerius eum numerum omnino non exhibet. Quare cum alioquin in exemplo Frontiniano nihil legatur, quod ita cum Valerii textu consentiat, ut non melius ex Livio haustum esse credi possit, non intellego, cur Valerium a Frontino in usum vocatum esse v. v. d. d. putent.

Expl. IV, 1.46 ex Val. Max. II, 7.15 (Wachsm.)

Valerius a Frontino ideo in usum vocatus esse non potest, quod verba ‚ut tota infrequens referretur' apud eum non reperiuntur. Quod cum Frontinus ipse excogitare non potuit, certe ex Livio XXXXI, 18 sumpsit. Nam quod Livius illo loco haec verba non habet, nihil ad rem facit, cum nonnulla ibi excidisse constet. Accuratiorem autem inter Frontinum et Valerium consensionem non mirabitur, qui senatus consulta hoc loco ab utroque afferri cogitaverit. Idem animadvertendum erat de expl. IV, 1.44 collato cum Liv. XXV, 8 et Val. Max. II, 7.15c cf. supra p. 35/36.

Expl. IV, 1.1 ex Val. Max. II, 7.1 (Wachsm.) Hoc quoque in exemplo nonnulla leguntur, quae apud Valerium non inveniuntur. Maxime animadvertendum est, quam accurate Frontinus describat, quae munera Scipio ad disciplinam restituendam militibus apud Numantiam imposuerit; Valerius de eis nihil refert. Non errabimus, si Livium (ept. LVII)

26) Polybius I, 7 ad trecentos securi percussos esse tradit, plurimos iam in Rhegio oppido expugnando cecidisse (τοὺς μὲν πλείστους ἐν αὐτῇ τῇ καταλήψει διέφθειραν). Tota igitur legio seditiosa secundum Polybii quoque narrationem occisa est.

a Frontino exscriptum esse credemus, cum etiam epitomatoris verba cum Frontinianis, quantum hac in re fieri potest, concinant. Fr. ‚portare complurium dierum cibaria imperabat . . Liv. ept. ‚et triginta dierum frumentum ferre cogebat.‘ Accedit Flori testimonium (II, 18): Sic redacto in disciplinam milite. Fr. redactis ad munus cotidiana exercitatione militibus

Expl. IV, 5.23 ex Val. Max. VII, 62 ext. (Wachsm.).

Nihil nos de Valerio admonet; equidem potius Livium ept. LVII fontem ponam, praesertim cum Frontinum de rebus apud Numantiam gestis Livium inspexisse ex expl. IV, 1.5 8,7 1,1 concludi possit.

Expl. IV, 3.12 ex Val. Max. IV, 3.5b (Wachsm.); ex Hygino (cf. auct. de v. illustr. 33. Hildesh.).

Fr: malum civem dicens, cui non esset idem quod ceteris satis.

Val. Max. parum idoneum rei publicae civem existimans qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset.

Plin. hist. nat. XVIII,3: perniciosum intellegi civem, cui septem ingera non essent satis.

Auct. de v. illustr. XXXIII: dicens neminem esse debere, cui non tantum sufficeret.

Quo in dicto Frontinus, quamquam cum Valerio paene ad verbum consentit, tamen ex illo sumpsisse putandus non est, cum praeterquam quod etiam auct. de v. ill. et Plinii verba proxime ad Frontiniana accedunt, Valerius Maximus Curium Pyrrho victo hoc dicentem faciat, Frontinus autem scribit: ‚victis ab eo Sabinis.‘ Praeterea Frontinus cum Plinii verbis consentit, ubi quamvis paululum a Valerio recedit. Quare cum de Valerio Maximo cogitandum non sit (Plinii autem historia naturali Frontinum ad strategemata conscribenda usum esse verisimile non est) a Livio exemplum petitum esse putabimus; neque enim cum Hilderheimero l. l. Hyginum hoc loco exemplar Frontini fuisse puto, cum Hyginus (cf. aut. d. v. ill. XXXIII) aeque ac Valerius Maximus, hoc dictum Curium Pyrrho victo dicentem faciat.

Expl. IV, 4.2 ex Val. Max. VI, 5.1 (Wachsm.).

Valerius eo praecipue cum Frontino discrepat, quod proditorem non medicum fuisse atque Fabricium nomen eius silentio texisse tradit, ut bona eius voluntas agnosceretur. Proditorem medicum fuisse praeter Frontinum Livius quoque

XXXXII,47 et Florus I,13, qui tamen Curium pro Fabricio praebet[27]), et Eutropius II,14 et Suidas v. ἀποστοροῦντες narrant. Eutropius (Suidas) et Frontinus maxime inter se conspirant, nam et eadem fere verba et orationis forma ab utroque adhibetur.

Fr. Ad Fabricium ducem Romanorum medicus Pyrrhi pervenit pollicitusque est daturum se Pyrrho venenum, si merces isbi constitueretur. Quo . . .

Eutr. Medicus Pyrrhi . . . ad eum venit promittens se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quidquam pollicitaretur. Quem . . .

Propter hunc inter Frontinum et Eutropium consensum a Frontino Livium (ept. 13.) exscriptum esse putem, cum Eutropium arte cum Livio cohaerere omnes sciant.

Ut iam supra commemoravi, Bludauius quae Hildesheimerus p. 42—45 l. l. de Frontini cum Hygino necessitate dixit, ne verbo quidem attigit neque in tabula fontium, quam dissertationi adiecit, nomen Hygini adnotavit. Attamen Hildesheimerus Frontinum l. I—III Hygino usum esse mea quidem sententia iure contendit; item in libro IV. quinque exempla inveniuntur, quae quamquam Wachsmuthius e Valerio Maximo petita esse dicit, tamen rectius Hygino attribuuntur. Sunt exempla: IV, 1.13 1,23 1,40 4,1 7,36.

De his exemplis pauca adiciam, non tam ut nova proferam quam Wachsmuthium de eis locis non recte iudicasse demonstrem.

Expl. IV, 4.1 ex. Val. Max. VI, 5.1 (Wachsm.); ex Hygino (cf. auct. d. v. ill. XXXIII. Hildh.).

Fr. Camillo Faliscos obsedenti ludi magister liberos Faliscorum tanquam ambulandi causa extra muros eductos tradidit dicens retentis eis obsidibus necessario civitatem imperata facturam. Camillus non solum sprevit perfidiam,	**Auct. d. v. ill.** Furius Camillus cum Faliscos obsideret ac ludi litterarii magister principum filios ad eum adduxisset, vinctum eum eisdem pueris in urbem redigendum et verberandum tradidit. Statim Falisci se

27) De nominum Curii et Fabricii confusione cf. Niebuhr, Röm. Gesch. III p. 595 adn. cf. quoque Front. IV, 3.2 cum Cic. Cat. mai. XVI, 55. auct. d. v. ill. XXXIII Ampel. lib. mem. XVIII, 8 Plut. apophth. p. 235.

sed et restrictis post terga manibus magistrum virgis agendum ad parentes tradidit pueris adeptus beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Falisci ob hanc iustitiam sponte se ei dediderunt.	ei ob tantam iustitiam dediderunt.

Val. Max. VI. 5.1: Camillo consule Faliscos circumsedente magister ludi plurimos et nobilissimos inde pueros velut ambulandi gratia eductos in castra perduxit. Quibus interceptis non erat dubium, quin Falisci deposita belli gerendi pertinacia tradituri se nostro imperatori essent. Ea re senatus censuit, ut pueri vinctum magistrum virgis caedentes. . . .

Nescio, cur v. v. d. d. Valerium Maximum fontem Frontini esse credant. Nam praeterquam quod verba Frontini propius ad auctoris d. v. ill. quam Valerii textum accedunt, Valerium a Frontini narratione aliquantum recedere luce clarius est, quippe qui senatus consulto factum esse dicat — idem refert Dion. Halc. XIII, 1 — quod si Frontinum atque auctorem d. v. ill. sequeris, a Camillo ipso factum est. Animadvertendum quoque est, quantopere Frontinus et auctor d. v. ill. cum Livio V, 27 consentiant, qui quamquam rem multo copiosius narrat, tamen ad utrumque quam proxime accedit.

Liv. principum liberos manibus post terga illigatis.

Fr. restrictis post terga manibus.

Liv. pueris tradidit virgasque eis, quibus proditorem agerent in urbem verberantes (cf. auct. d. v. ill.) dedit.

Fr. virgis agendum ad parentes tradidit pueris.

Auct. d. v. ill. eum eisdem pueris in urbem redigendum et verberandum tradidit. Aliaque.

Quo ex consensu inter Livium et Frontinum non sequitur Livium ipsum a Frontino adhibitum esse; nam nonnulla notanda sunt, quae cum quam maxime cum Auct. d. v. ill. conspirent, apud Livium non inveniuntur; cf. praecipue initium atque finem exempli.

Itaque Frontinum hoc exemplum ceteraque similia ex Hygino sumpsisse cum Hildesheimero puto. Quo probato consensus inter Frontinum et auctorem de v. ill. optime decla-

ratur,[28]) cum auctorem d. v. ill. ex Hygino pendere idem Hildesheimerus luculentissime demonstraverit. Atque cum dubitari non iam possit, quin Valerius Maximns ex Hygino hauserit,[29]) omnibus locis, quibus Valerius non solum cum Frontino, sed etiam cum auctore d. v. ill. vel Ampelio[30]) concinit, eum concentum ex eo fluxisse conicio, quod Velerius ex Hygino hausit.

Expl. IV, 7.36 ex Val. Max. VII, 3.7 (Wachsm); ex Hygino (auct. d. v. ill. 43) (Hildh.)

Front.: Q. Maximus transfugere ad hostes volentem Statilium . . . .

Auct. d. v. ill. 43: Marium Statilium transfugere volentem . . .

Perpauca cum nonnullis Valerii verbis consentiunt. — Cuius exempli cum Hildesheimerus Valerium fontem non esse demonstraverit, l. l. p. 45 adn. 2., non habeo cur eius argumentationem repetam. Sed notandum est vitium („Eselsohr") quod Wölfflinus (l. l. p. 86) deprehendisse sibi videtur, remotum esse,[31]) cum auctoris d. v. ill. narratione rem profecto ita se habere, ut Frontinus hoc loco tradit, optime confirmetur. Nam III, 16.1 res narratur, quae omnino non ad IV, 7.36 pertinet; cf. Liv. XXIII, 15 cum Front III, 16.1. —

Expl. IV, 1.13 ex Val. Max. V, 8.4 (Wachsm.); ex Hygino (auct. d. v. ill. 72) (Hildh.)

Nihil fere in Frontiniano exemplo de Valerio Maximo nos admonet, sed cum auctore de v. ill. plena consensio animadvertenda est. Quare cum praeterea Frontinus hoc ,in saltu Tridentino' (cf. Flor. III, 3 ,Tridentinis iugis') ex Valerio petere non potuerit, cum Hildesheimero Hyginus fons habendus est.

---

28) Frontinum auctore d. v. ill. ipso usum non esse v. Hildesh. l. l. p. 44.

29) Cf. Hildesh. p. 43/44 et B. Krieger, dissert. inaug. Berol. 1888.

30) Cf. Hildesh. p. 34/35.

31) Alterum quoque vitium, quod Wölfflinus IV, 1.29 = II, 8.11 apparere putat, dilabitur. Nam hoc ,opposita cohorte', quod Wölfflinus interpolatoris vel falsarii operam significare putat, non ex II, 8.11, sed ex Livio X, 36.6 (,statione equitum sibi opposita . .') fluxisse mihi videtur.

Expl. IV, l.23 ex Val. Max. II, 7.10 (Wachsm.); ex Hyg. cf. Ampel. XVIII et auct. d. v. ill. I XI (Hildh.)

Quamquam nonnulla apud Frontinum cum Valerii verbis conspirant, tamen hoc Frontini ,testamentum facere iussas', quod apud Valerium deest, nos de Valerio cogitare vetat. At apud Ampelium XVIII invenitur. Ampelium autem Hygino usum esse Hildesheimerus l. l. p. 34/35 demonstravit; cf. quoque Wölffl. ed. Ampel. cpt. 18.

Expl. IV, l.40 ex Val. Max. II, 7.6b (Wachsm.) ex Hyg. cf. auct d. v. ill. XXVIII (Hildh.)

Fr., Manlius, cui Imperioso postea cognomen fuit, filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnaverat, quamvis victorem in conspectu exercitus virgis caesum securi percussit.

In hac re referenda scriptores verbis mire inter se conspirant:

Sall.[32]) Catl LII: ,filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverat, necari iussit.'

Liv. VIII, 7. (15—20) ,Quando . . . . adversum edictum in hostem pugnasti . . .'

Auct. d. v. ill. XXIIX: quod contra imperium pugnasset, securi percussit.'

Cf. quoque Cic de fin. I, 7.23; Gell. noct. Att. IX, 13.30 Plut. Dion. Dio Cass. aliosque.

Qua ex collatione compositionem huius exempli non ex Frontini ipsius ingenio profectam esse, sed ex certo quodam fonte fluxisse apparet, quem Hildesheimerus non iniuria Hyginum fuisse coniecisse videtur. Cur Wachsmuthius Valerium Maximum exemplar Frontini fuisse putet, quocum uno Frontino verbis non consentit, non intellego.

Sed quae apud Frontinum leguntur: ,cui Imperioso postea cognomen fuit' et ,virgis caesum' ex Hygino sumpta esse non videntur; nam auctor quidem de v. ill. ea non praebet, et cum apud alios quoque scriptores, qui de ea re referunt, similia non inveniantur, aut a Frontino ipso addita aut ab interpolatore inserta sunt. Qua in re si modo verba: ,cui Imperioso postea cognomen fuit', ut equidem puto, Frontino debentur, Frontinus

32) Sallustius errore implicatus filium a Manlio Torquato bello Gallico necatum esse dicit idem Dion. Hal. VIII. peccat.

errore lapsus est, cum non hic T. Manlius, sed pater eius Imperiosus nominatus sit. Qui error eo facilius accidere potuit, cum etiam apud alios ut Plutarchum parall. 12b (Didot Moral. I p. 379), reperiatur, cumque Frontinus ab huius Manlii severitate, cuius exemplum proponit, cognomen Imperiosi ductum esse facile credere potuerit. —

Ea igitur quinque exempla, de quibus modo disputavi, quae a Valerio Maximo profecta non esse possunt, iustis de causis Hildesheimero auctore Hygino ut fonti principali tribuuntur. Vestigia autem Hygini etiam in libris I—III apparere idem v. d tribus locis demonstravit (I, 1.1 et 12; II, 3.24), equidem haec exempla annotavi, quae artius cum Hygino cohaerere videntur: I, 5.15 cf. Auct. d. v. ill. 39; II, 5.22 cf. Auct d. v. ill. 43 (Fr. periclitantibus subvenisset Auct.: periclitanti subvenit); II, 4.4 cf. Auct. d. v. ill. 47; I, 1 9 cf. Auct d. v. ill. 48.

De Hygini igitur usu libri I—III et IV plane inter se consentiunt. —

Duodecim exempla, quae iam prolaturus sum, quae Wachsmuthius e Valerio Maximo sumpta esse putat, certis fontibus probabiliter quidem adscribi non possunt, sed ad huius disputationis rationem atque consilium non multum interest, utrum haec exempla certis fontibus attribuantur necne, dummodo a Valerio Maximo deprompta non esse demonstrem. —

Expl. IV, 1.2 ex Val. Max. II, 7.2 (Wachsm.)

Hoc exemplo Metellum bello Iugurthino exercitum corruptum simili modo ad disciplinam redegisse narratur, quo Scipio Africanus minor apud Numantiam; adiecit auctor: ‚cum insuper prohibuisset (sc. Metellus), alia carne quam assa elixave milites uti‘.

Viri docti cum Frontini narratione Valerium Maximum et Salustium comparant:

Val. Max. II, 7.2: (Metellus) . . . . ‚cibumque coctum venalem proponi vetuit‘.

Sall. Jug. 45,2 (Metellum) . . ‚edicto . . . sustulisse, ne quisquam in castris panem aut quem alium coctum cibum venderet‘.

Wachsmuthius Frontinum hoc loco Valerio usum esse putat, quod cum verba Frontini et Valerii non plane inter se congruant, materiae ab utroque enarratae similitudine adductus fecisse

videtur. Sed Valerius ommino non idem tradit ac Frontinus. Apud Valerium enim et Sallustium Metellus a militibus alimenta, quae publice dabantur, venire atque cotidie a lixis necessaria emi vetat (Sall. 44: ‚praeterea frumentum publice datum vendere, panem in dies mercari‘), milites publice data edere coguntur.

Frontinus prorsus aliud refert: milites assa elixave carne vesci iubentur! Idem Plutarchus et Appianus narrant, qui tamen Scipioni Numantiam obsidenti tribuunt, quod Frontinus Metello assignat.

Plut. apophth. Scip. min. 16 . . . δειπνεῖν δὲ κατακειμένους, ἄρτον ἢ. πολτὸν ἁπλῶς καὶ κρεάς ὀπτὸν ἢ ἑφθόν.

Appian. Ib. 85: τάτε σιτία αὐτοῖς ὥριστο κρέα ζεστὰ καὶ ὀπτά εἶναι.

Scipio igitur vel Metellus impedire voluit, ne milites crudam vel potius semircrudam carnem ederent. Quod interdum factum esse constat: cf. Front. II, 5.13 ‚Hannibal reducto nocte exercitu securos eos et semicruda graves carne maiorem in modum vexavit.‘ et Flor II, 18 de Numantinis (!); ‚cum sese prius epulis quasi inferiis implevissent carnis semicrudae.‘

Itaque cum talia praecepta, qualia Frontinus h. l. tradit, ad exercitum corrigendum revera a ducibus Romanis adhibita esse Plutarchi et Appiani narrationibus confirmetur, Frontinum non ficta vel Valeriana paululum commutata, sed certo ex fonte hausta, sc. non ex Valerio proferre luce clarius est. Ac ne Metellum quidem verbis ‚cum insuper — uti‘ significari puto. Nam apud Plutarchum et Appianum et Frontinnm de unoeodemque viro, sc. Scipione minore referri pro certo habeo. Verba enim illa: ‚cum insuper . . . uti‘ in fine exempli primi post vocem ‚vasa‘ primitus posita fuisse puto, unde dicto Scipionis, quod iam forma (dixisse traditur) suspectum est, deiecta et nescio quo pacto exempli secundi in fine addita sunt; exemplum autem secundum per ‚restituit‘ exisse opinor, nisi forte totum (‚Q. Metellus bello Iugurthino similiter lapsam militum disciplinam pari severitate restituit.‘) interpolatori tribuendum est.

Quam coniecturam si probaveris, perfectus cum Plutarcho et Appiano consensus restitutus erit, simulque omnia illa dicta, quae ‚dixisse fertur‘ vel ‚dixisse traditur‘ exhibent, quae a Frontiniana elocutione aliena esse videntur, suspecta fiunt. Cf. supra p. 18|19.

Expl. IV, 1.18 ex Val. Max. II, 7.15 e (Wachsm.).

Quamquam Frontini verba de Valerio Maximo admonent, tamen Valerius Frontini fons fuisse non potest, quod nomen Appii Claudii, quod Frontinus praebet, apud illum non invenitur.

Expl. IV, 1.42 ex Val. Max. II, 7.11 (Wachsm.).

Hoc exemplum subditicium esse videtur; nam rerum conditio, locus, tempus ita non significatur, ut de Frontini auctoritate iure dubitari possit, cf. Wölffl. l. l p. 75. Accedit, quod cum hoc loco de seditiosis militibus agatur (expl. 38–43) hoc exemplum de transfugarum poena loquitur. Distributio igitur turbatur. —

Expl. IV, 3.1 ex Val. Max. IV, 3.11 (Wachsm.).

Nihil causae invenitur, cur Valerium potissimum Frontini fontem fuisse credamus; fortasse Cato ipse adhibitus est, cuius etiam aliis locis vestigia apparent et lib. I–III (cf. Bludau. p. 13) et lib. IV. (cf. 1,16.33; 7,12.35). Catonem ipsum de se praedicasse se non aliud ac remiges vinum bibisse docet Plin. h. nat. XIV, 13.14.

Expl. IV, 3.3 ex Val. Max. IV, 4.6 (Wachsm.).

Eodem iure, quo a Wachsmuthio Valerius fons habetur, Livius (ept 18) haberi potest; nam iis locis, quibus magnus inter Frontinum et Valerium consensus est, eum Frontini fontem non fuisse vidimus, quod casu aliae eiusdem rei narrationes extabant (cf. p. 35|36; 37; 39|40; 42; 45|46; 47|48), quae si non extarent, Valerius Maximus eorum exemplorum fons sine dubio habendus erat, sed hoc in exemplo, in quo nullum fere verbum ad eum spectat, eum fontem Frontini fuisse credere non possumus. Alias de hac re causas proferre necesse non est, cum Wachsmuthius sententiam suam nullo modo stabilierit.

Expl. IV, 5.4 ex Val. Max. III, 2.5 (Wachsm.).

Frontinus e Valerio sumpsisse non potest, quod rerum conditionem multo accuratius quam ille atque magis perspicue describit. Notandnm quoque est Frontinum aeque ac Livium (ept. XX) imperatorem Gallorum ‚ducem' non ‚regem' appellare; hoc quoque ‚opima rettulit spolia' cum Liviano ‚opima rettulit spolia' prorsus concinit Valerius haec verba non exhibet. Cf. Auct. d. v. ill. 45 et Ampel. 18. Florus II, 4.5 Eutr. III, 6.

Expl. IV, 5.14 ex Val. Max. V, 6.4 (Wachsm.).

Initio ambo ad verbum fere conspirant:

Fr. C. Aelius praetor urbanus, c u m e i i u s d i c e n t i p i c u s i n c a p i t e i n s e d i s s e t e t h a r u s p i c e s respondissent . **Val. Max.**

Cui ius dicenti cum in capite picus consedisset haruspicesque affirmassent . . .

Consensus notabilis est, sed praeterquam quod Frontinus quattuordecim, Valerius septendecim Aelios occisos esse tradit, id quod corruptela verborum factum esse potest, ambo oratione procedente valde inter se dissentiunt. Valerius apud Cannas Aelios cecidisse narrat atque oraculi eventum amplitudine, quam ipsius aetate assecutum erat imperium Romanum, interpretatus est. At Frontinus pugna ipsa in qua Aelios cecidisse scribit, exercitum Romanum quasi Aeliorum devotione vincentem facit. Frontinum autem non recte intellexisse neque animadvertisse pugnam Cannensem significatam esse credendum non est, cum Frontinus in lib. IV. quoque magnam scribendi diligentiam adhibuerit.[33]) Deinde hoc cogitandum est: tam notabilem rem, si in pugna Cannensi evenisset, a Livio et aliis, qui hanc pugnam accuratissime descripserunt, praetermissam esse paene incredibile est. Quare Valerium Maximum, qui pugnam Cannensem spectat, falsa referre puto, praesertim cum oraculi eventus ‚res publica procedente tempore ad summum imperii fastigium excessit' nimis quaesitus esse videatur. Frontinianae autem narrationi, in qua verba ‚nostro exercitu vincente' nos de pugna Cannensi cogitare vetant, veritatis species quamvis parva servatur; Aeliorum numerus ut in fabula auctus est. De eadem re loquitur Varro de vita P.R. libro III ap. Nonium XII p. 355 ed. Gerlach et Roth: Pelius Petus cum esset P.R. urbanus et sedens in sella curuli ius diceret populo picus Martius advolavit atque in capite eius adsedit. De ratione, quae inter Varronem et Valerium Frontiniumque intercedere videtur, non habeo, quod dicam, sed Frontinum Valerio usum non esse apparet.

Expl. IV, 5.15 ex Val. Max. V, 6.5 (Wachsm.)

Quamquam nonnulla cum Valerii verbis consentiunt, tamen eum a Frontino exscriptum esse nego, quod inter Frontinum et Ciceronem pro Sest. XXI, 48 et de fin. II, 19.61 mira quaedam consensio intercedit, quae si Valerium a Frontino adhibitum esse credimus, non declaratur. Simillime enim apud utrumque

33) Quod Wölfflinus compluribus locis de Frontini scribendi ratione profert, maximam partem iam reprobatum est. Cf. Gunderm. Commentt. phil. Jen. 1881. p. 150 ad expl. IV, 5,1 et Hildh. l. l. p. 45 adn. 2 ad expl. IV, 7.36; Num IV, 3.15 et 7,38 Frontinus res ad maius sustulerit, diiudicari non potest.

duorum Deciorum facta coniunctim referuntur (Fr.: primo pater, postea filius. — Cic. pro Sest: primum pater, post aliquot annis . . . filius), atque de fin. verbis ipsis de Frontino admonemur (Fr.: admissisque in hostem equis. — Cic.: equo admisso in mediam aciem . . .) id quod intellegitur, si aut Frontinum Cicerone aut utrumque communi fonte usum esse credimus. Sed cum Frontinus Ciceronem ipsum adhibuisse non videatur, Ciceronis fontem etiam a Frontino inspectum esse credendum est, id est collectanea quaedam vel annales, quos Cicero de fin. II, 19 et de div. I, 24.5 commemorat. Cf. Gunderm. quaestt. 337|38.

Aliis quoque in exemplis inter Ciceronem et Frontinum consensus cernitur; cf. p. 42 et 50.

Expl. IV, 5. 16 ex Val. Max. III, 2, 12 (Wachsm.)

Multo melius hoc quam priore exemplo Valerium Maximum Frontini fontem non fuisse apparet, quamquam maxima inter eos consensio est.

Fr. P. Crassus cum bellum adversus Aristonicum in Asia gerens inter Eleam et Myrinam in hostium copias incidisset vivusque abduceretur, exsecratus in consule Romano captivitatem virga qua ad equum erat usus, oculum Thracis, a quo tenebatur, eruit atque ab eo per dolorem concitato transverberatus dedecus servitutis ut voluerat effugit.	**Val. Max.** P. enim Crassus cum Aristonico bellum in Asia gerens a Thracibus quorum is magnum numerum in praesidio habebat inter Eleam et Zmyrnam exceptus, ne in ditionem eius veniret, dedecus arcessita ratione mortis effugit. Virgam enim qua ad regendum equum usus fuerat, in unius barbari oculum direxit, qui vi doloris accensus latus Crassi sica confodit.

Omitto nominum discrepantiam — Myrinam — Zmyrnam[34]) —, de qua v. Kempf. ad. Val. Max. p. 252, multo plus valet notabilis inter Frontinum et Orosium (adv. pag. V, 10) congruentia iis ipsis verbis, quibus etiam Valerius valde cum

34) Vox Zmyrnae apud Valerium iam in epitome Julii Paridis invenitur, cf. Kempf. l. l. ‚Myrinam' igitur, quam Frontinus hoc loco praebet quamque Kempfius vere ponendam esse putat, a Pseudo-Frontino iam ante Paridis aetatem e Valerio exscriptam esse credendum est; nam Paridis temporibus, id est exitu scl. IV. pro ‚Myrina' legebatur: ‚Zmyrna'.

Frontino concinit, sed ita, ut Orosius propius ad Frontinum accedat.

Oros. V, 10: — ipse Crassus . . . virgam qua erat usus ad equum in oculum Thraecis impegit; barbarus autem cum ira et dolore exarsisset, latus Crassi gladio transverberavit. Ita ille excogitato genere mortis effugit et dedecus et servitutem.

Cf. quoque Flor. II, 20. Eutr. IV, 20.

Consensus inter Valerium Maximum Frontinum Orosium mirabilis est:

Fr. virga, qua ad equum erat usus —

Or. virgam, qua erat usus ad equum —

Val. Max. virgam enim, qua ad regendum equum usus fuerat —

Praecipue notandum est, quod Frontinus et Orosius hoc ,regendum' quod Valerius praebet, non habent, quamquam hoc posito oratio melius cadit. —

Porrorespice:

Fr. transverberatus dedecus servitutis effugit —

Or. transverberavit . . . effugit et dedecus et servitutem.

Valerius Maximus neque transverberandi neque servitutis vocem exhibet. Atque cum Frontinus Orosius Valerius singulis in enuntiatis atque sententiarum conexu alter cum altero, sed non omnes cum omnibus mire conspirent (Fr. oculum Thracis — Val. Max.: in unius barbari oculum (antea: Thràcibus.) — Or: in oculum Thraecis impegit; barbarus autem — Fr: per dolorem concitato — Val Max: vi doloris accensus — Or: ira et dolore exarsisset — Or. latus Crassi gladio transverberavit — Val Max: latus Crassi sica confodit), illa mirabili inter eos conspiratione communis fons significatur, ex quo Valerius Frontinus Orosius hauserunt. Cum Valerius et Frontinus ab Orosio certe non compilati sint, illum inter Valerium et Orosium atque inter Frontinum et Orosium consensum ex communis fontis usu fluxisse credendum est. Frontinus igitur Valerium Maximum non exscripsit. —

Expl. IV. 5. 17 ex Val. Max. III, 2, 16 (Wachsm.)

Valerius Maximus procul dubio a Frontino adhibitus non est. Nam cum Valerius, ut alia omittam, communi nomine deceptus patrem cum filio confundat atque patri attribuat, quae a filio facta sunt, Frontinus una cum Plutarcho (vit. Aem. XXI)

et Justino XXXIII, 2 nomen filii M. Porci Catonis censoris profert. Nonnulla autem sunt, quae cum ad Justinum alludant, l. l., Frontinum hoc loco Pompeio Trogo usum esse probare videantur.[35]) Nam primum Justinus quoque Catonem equo delapsum esse ex Trogo tradit, de qua re apud Valerium nihil invenitur, deinde verba quoque confer:

Fr. cum se recollegisset — **Just.-Trog**: corpore recollecto. **Fr**: reciperato gladio — **Just.-Trog:** ad quem (sc. gladium) reciperandum. **Fr**: reversus est ad suos — **Just.-Trog**: ad suos revertitur.

Expl. IV. 6. 3 ex Val. Max. V, I, I (Wachsm.)

In fine exempli inter Valerium et Frontinum magnus est verborum consensus, qui viros doctos commovit, ut Frontinum Valerio usum esse crederent.

Fr. In regia sella resedisse tibi capital foret, in Macedonia conceditur. **Val. Max.** id ei salutare futurum, quod apud Persas capital exstitisset: solium regium occupasse.

Primo aspectu haec ita inter se conexa esse videntur, ut Frontinus Valerium exscripsisse putandus sit; sed primum in dictis plerumque eadem verba traduntur, deinde, quod est maximum, Curtius Rufus, hist. Alex. M. VIII, 15, 15 idem dictum ita profert, ut Frontini verbis multo propius accedat.

Fr: in regia sella consedisse tibi capital foret.

Curt. in sella regis consedisse capital foret.

Quae mira conspiratio, cum Frontinus Curtium ipsum non adhibuisse videatur, optime explicatur, si Curtium atque Frontinum communi fonte — fortasse dictorum collectaneo, quod Valerius quoque exscribere poterat — usos esse credimus, non explicatur aut intellegitur, si Frontinum ex Valerio sumpsisse statuamus.

Expl. IV, 5. 13 ex Val. Max. III, 7, 8 ext. Wachsm).

Verborum consensus ut in dicto non multum valet (cf. supra), praesertim cum Cicero eadem praebeat sed quod est maximum, Leonidae nomen, quod Frontinus affert, apud Valerium non invenitur. Nam hoc dictum cum alii Lacedaemonio cuidam incerti nominis tribuant, in quibus Cicero, Tuscl.

35) Pompeium Trogum a Justino excerptum esse omnes sciunt.

dispt. I, 42, 101 et Valerius Maximus l. c.,[36]) alii velut Plutarchus apophth. Leon. 6, cf. Suidas v. Λεωνίδης, Leonidae adjudicant. Quare cum Valerius nomen Leonidae de industria non posuisse videatur, Frontinus, qui Leonidae nomen exhibet, Valerio usus esse non potest, quippe qui eius de auctore huius dicti sententiam non amplexus sit.

Expl. IV, 5.20 ex Val. Max. VII, 6.3 (Wachsm.)

Plinii, hist. nat. VIII, 57 verba multo propius ad Frontini textum accedunt quam Valerii. Itaque cum Plinium a Frontino in usum vocatum esse ob conditionem utriusque operis et naturam diversam credere non liceat, Valerium Plinium Frontinum ex unoeodemque fonte hausisse coniciendum est, cf p 38. Nam si Frontinum Valerio usum esse sumimus, mira inter Plinium et Frontinum congruentia non intellegitur. Consensionem inter Valerium et Frontinum aliis quoque in exemplis non ea re explicandam esse, quod Frontinus Valerium adhibuerit, cf. p. 35|36; 37; 39|40; 42; 45|46. 47|48.

Quibus expositis ex triginta duobus exemplis, in quibus conscribendis Frontinum Valerio Maximo fonte usum esse Wachsmuthius putabat, relicta sunt quattuor (IV, 1.17[37]) 1,26 1,31—1,32), quae Valerianae originis esse videntur; sed ex his exemplis, si revera ab auctore l. IV. ex Valerio exscripta sunt, de fide huius libri quidquam colligendum esse prorsus nego. — Sed fortasse mirus in his exemplis cum Valerio concentus inde fluxit, unde ceteris locis plerumque consensum quendam verborum et rerum evenisse puto, sc. ex communis fontis usu. Nam ut Gundermannus l. l. p. 337|38 in lib. I—III multa vestigia esse ostendit, quibus Frontinum ex eodem fonte sumpsisse ac Valerium apparet, ita in libro IV. quoque idem cernitur. Nam cum caput primum l. IV. quindecim exempla contineat, quae ad Valerium alludunt, tredecim cum totidem Valerianis conspirant, quae omnia in capite septimo l II. inveniuntur; respice haec:

---

36) Cic. l. c., e quibus (sc. e Lacedaemoniis qui in Thermopylis ceciderunt) unus . . . Val. Max. l. c.: Nobiliter etiam uterque Spartanus . . . Herodotus VII, 2.26 Dienecem affert.

37) Expl. IV, 1.17 fortasse ex eodem dictorum collectaneo sumptum est, ex quo IV, 5.13 et 12 aliaque dicta fluxisse puto, cf. supra p. 47. Fons principalis habendus est Xenoph. Exp. Cyri II, 6.10.

Val. Max.		Front.
II, 7.1	. . . . . .	IV, 1,1
2	. . . . . .	1,2
3	. . . . . .	(7,29)
4	. . . . . .	1,31
5	. . . . . .	1,32
6	. . . . . .	1,40
8	. . . . . .	1,39
9	. . . . . .	1,26
10	. . . . . .	1,23
11	. . . . . .	1,42
7,15b	. . . . . .	1,18
15c	. . . . . .	1,44
15d	. . . . . .	1,46
15e	. . . . . .	1,38

Deinde haec respicienda sunt:

Front.		Val Max.
IV, 5,13	. . . . .	III, 7 ext.
5,14	. . . . . .	V, 6,4
5,15	. . . . . .	6,5—6
5,16	. . . . . .	III, 2,12
5,17	. . . . . .	2,16

Quae cum ita sint, cum Frontinum omnibus his locis, si quattuor illos (IV, 1.26 1,31—32 (1,17) exceperis, Valerio usum non esse demonstraverim, haec mira inter illos consensio optime declaratur, si utrumque ex eisdem collectaneis hausisse credimus, fortasse etiam in eis quattuor exemplis, quae Valerianae originis non esse, cum alia testimonia non sint, demonstrare non poteram.

De reliquis fontibus, quibus Frontinus et in lib. I—III et lib IV. usus sit, hoc loco accuratius dicere in animo non habeo, cum et huius scripti fines longe egreditur neque ad rem nostram probandam prorsus desideretur. Nam quod de vestigiis aliorum fontium l. IV, qui in libris I—III non compareant, v. v. d. d. opinati sunt, infirmius est quam ut ex eo de auctoritate l. IV quidquam colligi possit. Accedit, quod quibus ex fontibus in libris I—III conscribendis sumpserit Frontinus, minime constat. Nam Wachsmuthius et Wölfflinus de illorum librorum fontibus propriam quaestionem instituisse non videntur, Bludauius instituit, sed ita ut ne ibi quidem recte iudicaverit, ubi res dubia esse non potest.

Vita.

Ernestus Fritze natus sum in vico Gatow die XXV mensis Septembris anni 1862 patre Adolpho, matre Augusta, quos praematura morte mihi ereptos esse valde conqueror. Fidem confiteor evangelicam. Litterarum elementis in ludo patrio institutus puer undecim fere annorum Berolinum migravi, ubi scholam Dr. M. Lutheri, viri de me maxime meriti, frequentavi. Tribus fere annis post gymnasium Friderico-Werderanum adii. In hac vetere optimarum artium sede praestantissimorum virorum disciplina atque eruditione frui mihi licuit, ex quibus honoris causa nomino Bernhardum Büchsenschütz rectorem et Guilelmum Mewes, a quibus etiam post discessum benigne adiutus sum. Vere a. 1883 maturitatis testimonium adeptus universitatem Berolinensem adii et per octies sex menses scholis interfui horum virorum doctissimorum: Curtii, Deusseni, Dielsii, Diltheyii, Hirschfeldii, Hübneri, A. Kirchhoffii, Paulseni, Schereri, Vahleni, Zelleri. Quibus viris omnibus, imprimis Dielsio Hirschfeldio Vahleno gratias ago quam maximas.

Typis expressit Th. Haberlandt, Berolini.